











Nive

Ausonius (Decimus Magnus)

555


554 | c
A

D. MAGNI AVSONII GRIPHVS Ternarij numeri. edyll. 11.

Cum explicatione perfacili, qua dubia & obscura omnia soluuntur & illustrantur, repurgatis etiam locis ijs quæ in vulgatis pridem editionibus mendosa erant, vel corrupta.

PER

Claudium Minoem Diuionensem.



PARISIIS.

Apud Ioannem Richerium, via D. Ioannis Lateranensis, ad intersignium arboris virescentis.

M. D. LXXXIII.

Cum Priuilegio Regis Christianissimi.

STVDIOSO, ET CANDIDO, ET NON INFICETO LECTORI, de hoc Ausoniano Gripho. *edyll. IX.*

TEr lege, ter doctum lepido sub carmine ludum,
Lector, inhumana sed procul inuidia.
Ter pure lecto recreaberis ipse libello,
Ter lege, ter doctus, ter tibi gratus erit.
Iam si me audieris, facito licet ātē periclū:
Ter lege, ter lecto, ter quoque doctus eris.

Ἐσ' ἀρετὴ ἐρατή.



PRVDENTISS. IVRIS VTRIVSQVE Antiſtiti P. SVGERIO Claud. Minos. S.



QVI pridem libellus inter ſchediaſmata quædã mea latitabat, & quẽ neſcio quo ætatis impetu edi antè ſuſtinueram, ego nuper cùm in meo Muſæo neſcio quid anxiè perquirerem, ille vltrò ſeſe mihi obtulit penè lacerum & comminutum, & tanquam ſorex ſuo ſe indicio prodidit. Statim verò mihi elapſus, vt qui tum aliud ſomniarem, nihil de noua editionẽ cogitans, ac ne ſuſpicans quidem, venit in manus cuiuſdam mihi notiſſimi, ſed

me, meáque omnia nimiùm amantis, qui
id omne, quicquid est exscribẽdo primùm
deinde excudendo ad extremum ferè per-
duxerat, cùm me rogauit ne molestè ferrẽ
id pro meo ducere, quod tanquam proie-
ctum et abortiuum erã auersatus. Ea res
cùm me variè afficeret (neq; enim lapsum
meum poteram commodè tegere: neque
amico homini molestus aut parum con-
cinnus esse) feci quod deceptæ matres, quæ
cùm fœtum exponere, & quasi à se abdi-
care coguntur, non protinus vitam adi-
munt quæ vitæ causa fuerunt: sed curant
potius quacunque ratione & modo qui-
buscunque possunt, nati vitam commen-
dare. Ita me perinde gessi in huius libelli
editione, de quo cùm superiorib. anteactis
ãnis nõ amplius magnopere laborarẽ, vt
qui anteà mihi temerè exciderat, ecce cùm
reluctãte me sic euolasset, tu statim occur-
risti, Sugeri cordatissime, cuius fidei com-
mendarem emissum istũ, penéque eiectũ

ingenij mei fœtum, qui viri optimi & perspicacis & eruditi ope imprimis indigeat. Id enim nisi contigerit, nihil huic video superesse, quàm vt ei sit quãcitissimè pereundum, aut ne in grauiores argutulorũ quorundam reprehensiones veniat. Ego verò si virum probum fidúmque & sapiẽtiæ omnis laude cumulatum quæro, quis Sugerio meo melior? quis prudentior? quis eruditior? cuius nempe vita omnis nihil aliud quàm censura sit (uti de quodã vetere Plinius iunior) & cuius doctrina toti Europæ, nedum Gallis nostris probata, perspectáque, facit vt audacius fortasse expositum hunc tibi commendem quem boni omnes certatim colunt & amplexantur, quémque cũ paucis æquare nescio an debeam, at quem anteponam, habeo profectò neminem. Te itaque obtestor, vir optime, patiare me nostræ amicitiæ id alioqui leue, quod fateri cogor, necdum satis tua dignum doctrina

monumentum edere. Quod si feceris, vt te facturum mihi spondere ausim (si benè tuum candorem noui) quem spurium olim & fermè subdititium habui, pro legitimo facilè ali & foueri sustinebo. Vale.



AVSONIVS SYMMACHO Salutem.

LAtebat inter nugas meas libellus ignobilis, vtinamque latuisset, neque indicio suo, tanquam sorex periret. Hunc ego cùm velut gallinaceus Euclionis situ chartei pulueris eruissem, excussum relegi: atque vt auidus fœnerator, improbum nummum malui occupare, quàm condere. Dein cogitans mecum non illud Catullianum, Cui dono lepidum nouum libellum, sed ἀμουσότερον, & verius, Cui dono illepidum rudem libellum: non diu quæsiui· tu enim occurristi, quem ego, si mihi potestas sit ex omnibus deligendi vnum, semper elegerim. Misi itaque ad te friuola gerris Siculis vaniora, vt cùm agis nihil, hæc legas: & ne nihil agas, defendas. Igitur iste nugator libellus iam diu secreta quidem, sed vulgi lectione laceratus, peruenit tandem in manus tuas. Quem tu aut vt AEsculapius redintegrabis ad vitã: aut vt Plato, iuuante Volcano, liberabis infamia, si peruenire non debet ad famam. Fuit autem ineptiolæ huius ista materia. In expeditione (quod tempus, vt scis, licentiæ militaris est) super mensam meam facta est inuitatio, non illa de Rubrij conuiuio, vt Græco more biberetur, sed illa de Flacci Ecloga: in qua propter mediam noctẽ, & nouam Lunam, & Murenæ auguratum, ternos ter cya-

thos attonitus petit vates. Hunc locum de ternario numero illico nostra illa poëtica scabies cœpit exscalpere: cuius morbi quoniam facile contagium est, vtinam ad te quoque prurigo commigret, & fuco tuæ emẽdationis adiecto impingas spongiam, quæ imperfectũ opus ęqui maglé spumantis absoluat. Ac ne me gloriosum neges, cœptos inter prandendum versiculos ante cenæ tempus absolui: hoc est, dum bibo, & paulò antè quam biberem. Sit ergo examen pro materia, & tempore. Sed tu quoque hoc ipsum paulò hilarior, & dilutior lege: namque iniurium est de poëta malè sobrio lectorem abstemium iudicare. Neque me fallit fore aliquem, qui hunc iocum nostrum acutis naribus, & caperata fronte condemnet, negetque me omnia, quæ ad ternarium & nouenarium numeros pertinent, attigisse: quem ego verum dicere fatebor, iustè negabo. Quippe si bonus est, quæ omisi, non oblita mihi, sed præterita existimet. Dehinc qualiscunque est, cogitet secum, quàm multa de his non reperisset, si ipse quæsisset: sciat etiã me nec omnibus erutis vsum, & quibusdam oblatis abusum. Quam multa enim de ternario sciens neglexi, tẽpora & personas, genera & gradus, nouem naturalia metra cum trimetris, totam grammaticam & musicam: librosque medicininos, ter maximum Hermem, & amatorem primum Philosophiæ, Varronisque numeros, & quidquid profanum vulgus ignorat. Postremò, quod facile est, cùm ipse multa inuenerit, comparet se atque me, occupatum cum otioso, pransum cum abstemio,

iocum & ludum meum, diligentiam & calumniam suam. Alius enim alio plura inuenire potest: nemo omnia. Quòd si alicui obscurus videbor, apud eum me sic tuebere. Primùm eiusmodi Eidyllia nisi vel obscura sint, nihil futura: deinde numerorum naturam nõ esse scirpum, vt sine nodo sint. Postremò si etiam tibi obscurus fuero, cui nihil neque non lectum est, neque non intellectum, tum verò ego beatus, quod affectaui, assequar, me vt requiras, me desideres, de me cogites. Vale.

IN EPISTOLAM AVSONII.

Ad Symmachũ) Docti pené omnes, ipsique Chronologi, non dubitant, quin is cui suum Griphum nuncupauit Ausonius, fuerit L. Aurelius Symmachus, vir clarissimus vrbis præfectus, quemque reperio consulem fuisse cum Titiano (qui dicitur alijs L. Titius Fabius) & cuius exstant Epistolæ doctissimæ ad Valentinianum, Theodosium, Arcadium Imperatores, & ad Ausonium, aliosque multos. Is ipse Symmachus est, qui pietati Christianæ infensus, pro ara Victoriæ, quę de curia Christianis illis tẽporibus sublata fuerat, relationem scripsit ad Imperatores illos optimos, & nostram religionem amplexatos. Cui relationi verbis grauissimis responderunt D. Ambrosius, Mediolanensium pontifex, & Prudentius, poëta Christianus.

Latebat inter nugas &c.) Occasio editionis huius libelli.

Tanquam sorex) Prouerb. Suo indicio perijt sorex. Ad Terentianum hoc in Eunucho respexit Ausonius, sed aliorsum ducta sententia:

Egomet meo indicio miser, quasi sorex hodie perij.

Gallus gallinaceus Euclionis) Id ex Aulularia Plautina mutuatus est. Euclio miserrimus homuncio, & auarus suprà quàm quisquam credat, dum offendit gallum gallinaceum pedibus scalpere loco eo quo thesaurum occultarat, sic ait secum ipse loquens:

Condigne etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit penissimè,
Vbi erat hæc defossa, occepit ibi scalpurire vngulis:
Circumcircà, quid opus est verbis? ita mihi pectus peracuit,
Capio fustem, obtrunco gallum, furem manifestarium.

Chartei pulueris) pro chartacei, nunquam me memini legisse apud auctorem aliquem ex veteribus.

Vt auidus fœnerator) Comparatione suũ studium in hoc edendo carmine declarat.

Illud Catullianũ) 1. epig. Catul. mutuatus est. sic n. ille:

Qui dono lepidum nouum libellum
Arida modò pumice expolitum, &c.

In quibusdam exemplaribus Lugduni apud Gryphium excussis ita legitur plenius: Deinde cogitans mecum non illud Catullianum, Cui dono lepidum nouum libellum: sed ἀμαλακώτερον & veriùs: Cui dono illepidum rudem libellum, non diu quæsiui. In exemplaribus verò Tornæsianis anno 1558. ita reperio: Cui dono lepidum nouum libellum: sed ἀμουσότερον, diu quęsiui. Ex qua exemplarium collatione facilè obseruabit Philologus quantùm sibi censores indulserint in castigandis auctoribus, alia detrahendo, alia verò contra fidem veterum codicum interserendo. Cæterũ Ausonius hoc postremum ferè, etiam ad Drepanium vsurpauit:

At nos illepidum rudem libellum
Burras, quisquilias, ineptiásque.

ἀμουσότερον) i. inelegãtius. ita Turnebus legit cap. 22. lib. 15. aduersar. Mariangellus autem mauult, ἀμαρότερον, i. sanius. Certe μουσικὸν opponitur ἀμούσῳ in Symmachi quadam ad Ausonium epistola. Et idem Auson. ad Paulum, facundum & Musicum pro eodem accipit.

Gerris Siculis) vide adag. Siculæ nugæ.

Vt cum agas nihil, hæc legas) Cicero 2. Tuscul. Quid possum, pręsertim nihil agens, agere melius?

A Esculapius) hic restituit viuis Hippolitũ, qui proinde Virbius dictus est. Ouid. 15. transform.

Vt Plato) qui audito Socrate sua poëmata igni tradidit. Laërtius.

Fuit autem) editionis occasio præcessit hactenus, nunc verò scriptionis & argumenti sequitur causa.

In expeditione) significat se hos numeros lusisse in castris & belli tempore, quo milites solent omnia facere indulgentius.

Rubrij conuiuio) Rectè Turneb. aduers. 23. cap. 27. ex emendatione Russardi Iurisc. contendit legendum esse, Rubrij, non, ludibrij, vt in vulgatis editionibus, vt hic locus intelligatur de Rubrij conuiuio, ex tertia Verrina M. Tullij, de pretura Vrbana, quo loco narrat orator summum Verris flagitium in machinando raptu nobilis cuiusdam puellæ Lampsacenæ. Vbi enim exposuit initium detegendi scelerati huius consilij, docet ad hæc ei fuisse Rubrium, quendam hominem factum ad illius libidines: qui (Rubrius) vt hospes domum concessit Philodami, genere, honore, copijs, existimatione facilè principis Lampsacenorum: eius esse filiam, quæ cum patre habitaret, quia virum non haberet: mulierem eximia pulchritudine, sed eam summa integritate pudicitiáque existimari. Hæc cum Verres audisset, statim ad Philodamum commigrauit, apud quem Rubrium, delicias suas deduci iussit: discumbitur: fit sermo inter eos & inuitatio vt Græco more biberetur: hortatur hospes: poscunt maioribus poculis: celebratur omnium sermone lætitiáque conuiuium. Postquam autem satis calere res Rubrio visa est: quæso inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intrò vocari iubes? &c. Hactenus Cicero, quẽ eundem locum attigit P. Victorius var. lection. 14. cap. 14. quem similem esse obseruat loco ex oratione Demosthenis περὶ παραπρεσβείας.

Græco more biberetur) vide adag. Pergræcari, & Philotesius crater. olim Græci malé audierunt ob vinolentiam, vt hodie Germani.

De Flacci Ecloga) intelligit Odam Horatianam 19. lib. 3. carminum quæ est in Telephum quendam, qui narrationibus intempestiuis conuiuam se molestiorem præberet. Sic enim Lyricus,

Da Lunæ properè nouæ,
Da noctis mediæ, da puer auguris
Murenæ: tribus aut nouem
Miscentur cyathis pocula commodis:
Qui Musas amat impares
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates, &c.

Varro, togatorum peritissimus, conuiuarum numerum debere à Gratiarum incipere numero, & progredi ad Musarum enneadem putauit. plures enim si fuerint adhibiti, turbam nasci. Cui tamen legi conuiuali aduersatur adagium vetus: Septem conuiuium, nouem conuicium.

Flacci Ecloga) ἐκλογὴν hîc appellare mihi videtur εἰδεῖον vel εἰδύλλιον, genus poëmatij de re leui & ludicra, vt sunt permultæ apud Horatium Odæ.

Poëtica scabies) ἀλληγορικῶς alludit, ni fallor, ad illud Cicer. 5. scholæ Tuscul. Adhuc neminem cognoui poëtam qui sibi non optimus videretur, sic se res habet: te tua, delectant me mea. Ex quo notat Poëtarum φιλαυτίαν, quæ vel arte summa latere non potest, tanquam morbus qui se facilè ipsum vltrò prodat.

Ad te prurigo commigret) In quadam Symmachi ad Ausonium epistola: Noui ego, inquit, quæ sit prurigo enunciandi operis quod probaris.

Impingas spongiam) Impingere spongiam, ductum à pictoribus, qui suas imagines, quas nondum approbant inducta spongia delent. Notum est quod Tranquillus retulit de Augusto: Is tragœdiam, cui nomen Aiax, magno exorsus impetu, non succedente stilo, aboleuit. Amicis itaque percontantibus, quid Aiax ageret, respon

dit Aiacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe.

Equi malè ſpumantis) Perſpicuè alludit ad pictorem, qui cùm equi effigiem induſtria & labore perfeciſſet, vellétque ſpumas adijcere naribus, ea in re perficienda diu multúmque cogitabundus, ſpōgiam forte omnibus delibutam coloribus arripuit, eámque quaſi deſperans tabulæ illiſit: qua, neſcio quo caſu, ad ipſas equi nares directa, perfecit quod animo cōceperat: ſicque quod ars adumbrare commodè non poterat, caſus imitatus eſt, Plinius 35. cap. 10. & Val. Maxim. 8. cap. 11.

Ac ne me glorioſum) Extenuando ſeipſum commendat. alij legunt: Ac ne me neſcias glorioſum.

Paulò hilarior & dilutior) dilutior, melius quā dulcior: quæ particula eſt omnino huic loco incōcinna & inepta.

Neque me fallit) Prolepſis & eius ſolutio.

Caperata fronte) prouerb. Frontem exporrigere.

Hunc loco de ternario numero) Ita habet liber Tornæſij: Gryphij verò: Hunc locum. alij, huic loco. Plerique docti putant coniectando legendum, Hunc iocum: quæ lectio non abhorret ab ijs quæ ſequuntur: tamen cuiuſque fuerit lectionem probabiliorem ſequi.

Quibuſdam oblatis abuſum) Vt cum Ius diuidit in ſacrum priuatum & publicum, tria elementa conſtituit, &c.

Nouem naturalia metra) Facilè Syluio, cùm nunc tempoporis nihil mihi probabilius occurrat ſubſcribā, dicámque nouem naturalia metrorum genera eſſe, Heroicum, Iambicum, Trochaicum, Anapæſticum, Antiſpaſticum, Choriambicum, Ionicum, Pæonicum, Rythmicum. de his Terentianus, & Diomedes. Si quis naturalia pro primis & originalibus malit, non pugnabo.

Libros Medicininos) de arte medica ſcriptos. Iſthæc vox (medicininos) olet Auſonij ſeculum non adeò politum & elegans, vt ad imitandum proponi debeat. Docti viri malunt legi, libros medicinæ, rectius & latinius.

Ter maximum Hermen) Mercurium τρισμέγιστον.

Amatorem primum Philoſophiæ) Pythagoram qui primus nō σόφος, ſed φιλόσοφος appellari voluit. Val. Maxim.

Egomet meo indicio miser, quasi sorex hodie perij.

Gallus gallinaceus Euclionis) Id ex Aulularia Plautina mutuatus est. Euclio miserrimus homuncio, & auarus suprà quàm quisquam credat, dum offendit gallum gallinaceum pedibus scalpere loco eo quo thesaurum occultarat, sic ait secum ipse loquens:

Condigne etiam meus me intus gallus gallinaceus,
Qui erat anui peculiaris, perdidit penissimè,
Vbi erat hæc defossa, occepit ibi scalpuriro vngulis:
Circumcircà, quid opus est verbis? ita mihi pectus peracuit.
Capio fustem, obtrunco gallum, furem manifestarium.

Chartei pulueris) pro chartacei, nunquam me memini legisse apud auctorem aliquem ex veteribus.

Vt auidus fænerator) Comparatione suũ studium in hoc edendo carmine declarat.

Illud Catullianũ) 1. epig. Catul. mutuatus est. sic n. illo:

Quoi dono lepidum nouum libellum
Arida modò pumice expolitum, &c.

In quibusdam exemplaribus Lugduni apud Gryphium excussis ita legitur plenius: Deinde cogitans mecum non illud Catullianum, Cui dono lepidum nouum libellum: sed ἀμαλακώτερον & veriùs: Cui dono illepidum rudem libellum, non diu quæsiui. In exemplaribus verò Tornæsianis anno 1558. ita reperio: Cui dono lepidum nouum libellum: sed ἀμουσότερον, diu quęsiui. Ex qua exemplarium collatione facilè obseruabit Philologus quantùm sibi censores indulserint in castigandis auctoribus, alia detrahendo, alia verò contra fidem veterum codicum interserendo. Cæterũ Ausonius hoc postremum ferè, etiam ad Drepanium vsurpauit:

At nos illepidum rudem libellum
Burras, quisquilias, ineptiásque.

ἀμουσότερον) i. inelegãtius. ita Turnebus legit cap. 22. lib. 15. aduersar. Mariangellus autem mauult, ἀμαρότερον, i. sanius. Certe μουσικὸν opponitur ἀμούσῳ in Symmachi quadam ad Ausonium epistola. Et idem Auson. ad Paulum, facundum & Musicum pro eodem accipit.

Gerris Siculis) vide adag. Siculæ nugæ.

Vt cum agas nihil, hæc legas) Cicero 2. Tuscul. Quid possum, prȩsertim nihil agens, agere melius?

A Esculapius) hic restituit viuis Hippolitũ, qui proinde Virbius dictus est. Ouid. 15. transform.

Vt Plato) qui audito Socrate sua poëmata igni tradidit. Laërtius.

Fuit autem) editionis occasio præcessit hactenus, nunc verò scriptionis & argumenti sequitur causa.

In expeditione) significat se hos numeros lusisse in castris & belli tempore, quo milites solent omnia facere indulgentius.

Rubrij conuiuio) Rectè Turneb. aduers. 23. cap. 27. ex emendatione Russardi Iurisc. contendit legendum esse, Rubrij, non, ludibrij, vt in vulgatis editionibus, vt hic locus intelligatur de Rubrij conuiuio, ex tertia Verrina M. Tullij, de pretura Vrbana, quo loco narrat orator summum Verris flagitium in machinando raptu nobilis cuiusdam puellæ Lampsacenæ. Vbi enim exposuit initium detegendi scelerati huius consilij, docet adhæc ei fuisse Rubrium, quendam hominem factum ad illius libidines: qui (Rubrius) vt hospes domum concessit Philodami, genere, honore, copijs, existimatione facilè principis Lampsacenorum: eius esse filiam, quæ cum patre habitaret, quia virum non haberet: mulierem eximia pulchritudine, sed eam summa integritate pudicitiáque existimari. Hæc cum Verres audisset, statim ad Philodamum commigrauit, apud quem Rubrium, delicias suas deduci iussit: discumbitur: fit sermo inter eos & inuitatio vt Græco more biberetur: hortatur hospes: poscunt maioribus poculis: celebratur omnium sermone lætitiáque conuiuium. Postquam autem satis calere res Rubrio visa est: quæso inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intrò vocari iubes? &c. Hactenus Cicero, quē eundem locum attigit P. Victorius var. lection. 14. cap. 14. quem similem esse obseruat loco ex oratione Demosthenis περὶ παραπρεσβείας.

Græco more biberetur) vide adag. Pergræcari, & Philotesius crater. olim Græci malè audierunt ob vinolentiam, vt hodie Germani.

De Flacci Ecloga) intelligit Odam Horatianam 19. lib. 3. carminum quæ est in Telephum quendam, qui narrationibus intempestiuis conuiuam se molestiorem præberet. Sic enim Lyricus,

Da Lunæ properè nouæ,
Da noctis mediæ, da puer auguris
Murenæ: tribus aut nouem
Miscentur cyathis pocula commodis:
Qui Musas amat impares
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates, &c.

Varro, togatorum peritissimus, conuiuarum numerum debere à Gratiarum incipere numero, & progredi ad Musarum enneadem putauit. plures enim si fuerint adhibiti, turbam nasci. Cui tamen legi conuiuali aduersatur adagium vetus: Septem conuiuium, nouem conuicium.

Flacci Ecloga) ἐκλογὴν hîc appellare mihi videtur εἰδεῖον vel εἰδύλλιον, genus poëmatij de re leui & ludicra, vt sunt permultæ apud Horatium Odæ.

Poëtica scabies) ἀλληγορικῶς alludit, ni fallor, ad illud Cicer. 5. scholæ Tuscul. Adhuc neminem cognoui poëtam qui sibi non optimus videretur, sic se res habet: te tua, delectant me mea. Ex quo notat Poëtarum φιλαυτίαν, quæ vel arte summa latere non potest, tanquam morbus qui se facilè ipsum vltrò prodat.

Ad te prurigo commigret) In quadam Symmachi ad Ausonium epistola: Noui ego, inquit, quæ sit prurigo enunciandi operis quod probaris.

Impingas spongiam) Impingere spongiam, ductum à pictoribus, qui suas imagines, quas nondum approbant inducta spongia delent. Notum est quod Tranquillus retulit de Augusto: Is tragœdiam, cui nomen Aiax, magno exorsus impetu, non succedente stilo, aboleuit. Amicis itaque percontantibus, quid Aiax ageret, respon

dit Aiacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe.

Equi malè ſpumantis) Perſpicuè alludit ad pictorem, qui cùm equi effigiem induſtria & labore perfeciſſet, velléτque ſpumas adijcere naribus, ea in re perficienda diu multúmque cogitabundus, ſpõgiam forte omnibus delibutam coloribus arripuit, eámque quaſi deſperans tabulæ illiſit: qua, neſcio quo caſu, ad ipſas equi nares directa, perfecit quod animo cõceperat: ſicque quod ars adumbrare commodè non poterat, caſus imitatus eſt, Plinius 35. cap. 10. & Val. Maxim. 8. cap. 11.

Ac ne me glorioſum) Extenuando ſeipſum commendat. alij legunt: Ac ne me neſcias glorioſum.

Paulò hilarior & dilutior) dilutior, melius quã dulcior: quæ particula eſt omnino huic loco incõcinna & inepta.

Neque me fallit) Prolepſis & eius ſolutio.

Caperata fronte) prouerb. Frontem exporrigere.

Hunc loco de ternario numero) Ita habet liber Tornæſij: Gryphij verò: Hunc locum. alij, huic loco. Plerique docti putant coniectando legendum, Hunc iocum: quæ lectio non abhorret ab ijs quæ ſequuntur: tamen cuiuſque fuerit lectionem probabiliorem ſequi.

Quibuſdam oblatis abuſum) Vt cum Ius diuidit in ſacrum priuatum & publicum, tria elementa conſtituit, &c.

Nouem naturalia metra) Facilè Syluio, cùm nunc temporis nihil mihi probabilius occurrat ſubſcribã, dicámque nouem naturalia metrorum genera eſſe, Heroicum, Iambicum, Trochaicum, Anapæſticum, Antiſpaſticum, Choriambicum, Ionicum, Pæonicum, Rythmicum. de his Terentianus, & Diomedes. Si quis naturalia pro primis & originalibus malit, non pugnabo.

Libros Medicininos) de arte medica ſcriptos. Iſthæc vox (medicininos) olet Auſonij ſeculum non adeò politum & elegans, vt ad imitandum proponi debeat. Docti viri malunt legi, libros medicinæ, rectius & latinius.

Ter maximum Hermen) Mercurium τρισμέγισον.

Amatorem primum Philoſophiæ) Pythagoram qui primus nõ σόφος, ſed φιλόσοφος appellari voluit. Val. Maxim.

lib.8. cap. 7.

Varronis numeros) Scripsit de numeris Varro, vt meminit Gellius & Censorin. De die natali.

Eidyllia) poëmata, ἀπὸ τοῦ εἴδους primitiuo, qualia scripsit Theocrit. & Ausonius ipse. malunt alij Epyllia legi ex membranis veteribus, quod ipsum nomē ideo penè sonat ac Eidyllium.

Non esse scirpum) prouerb. Nodū id scirpo quęrere. Porro vt hoc obiter admoneam, griphorum & ænigmatum ea lex est atque natura, vt cum aliqua inuentione difficultatem præ se ferant, cuius explicatio peruia non sit omnibus, sed eruditis duntaxat & ijs maximè, qui cum ingenuis artibus antiquitatis cognitionem adiunxerunt, Hi enim gyri & mæandri cogitationem non leuiter eruditam requirūt, & ingenium studiumque hominis vtplurimum acuti & sollertis.

Cui nihil neque non lectum) melius quidem, quàm alij, cui nihil neq; neglectū est, neq; nō intellectū. concinnum & elegans & sententiosum elogiū Symmachi, qui certé fuit πολυμαθὴς καὶ πεπαιδευμένος καὶ εὐφυὴς καὶ πολυδεξιής. Non est ergo mirum si adeò doctè ad perdoctum Symmachum Ausonius scribat, vt qui sciret hominem litteratum & multiscium non nisi litteratis sermonibus & condita scriptione capi.

Me vt requiras) Meorū interpretem, vt qui sine me interprete te commodè non possis expedire.

Me desideres) noster hic imitatur Phædriam Terentianam, quę sic alloquitur Thaidem in Eunucho,

Dies noctèsque ames me, me desideres,
Me somnies, me exspectes, de me cogites, &c.

IN GRIPHVM AVSONII
ARGVMENTVM

NVmeri ternarij vim efficacem & intellectum cęteris pręstantem numeris exempla passim ostenduntapud scriptores eruditos. Is enim sapientum quorundam iudicio, non temerè adhibitus & vsurpatus existimatur in rebus serijs, adeò vt plerique iam olim inter nobiles auctores habiti, diligentem operam pręstiterint in eo numero ex sua vi & natura describendo, quales fuere Proclus, Ion Chius poëta & philosophus, multóque ijs antiquior Pythagoras, qui ternario rerum omnium perfectionem assignabat, imprimisque τριάδα vt numerorum nobilissimã & perfectissimam esse adorandam censeret: innuens fortasse, vt quidam è nostris non abs re cõijciunt, trini & vnius Dei naturã perfectissimam, in quo nostræ persuasionis Christianæ, præcipuus tanquam cardo vertitur. Hos itaque veteres auctores imitatus Ausonius, impari tamen argumento, hoc de ternario numero lusit eidyllion, concinnatum illud quidem ex omnibus philosophiæ diuinæ & humanæ partibus, non ordine, quem Griphi lex & natura non ferè patitur, sed ἀνακολούθως.

GRIPHVS TERNARII NVMERI.

VT apud Gellium, nonnullósque alios, Griphus hîc pro nodoso arguméto, sentétia perplexa & implicata, quæque facilé solui non possit, vsurpatur μεταφορικῶς. Nam γρῖφος, vel γρίπος, aut γρῖφον sagenam vel rete piscatorium Græcis sonat. Hesichius: γριπεῦσαι, est ἰχθῦς θηρεῦσαι, pisces captare. καί γριπεὺς ὁ ἁλιεύς, piscator. καί γρῖφος, τὸ δίκτυον, rete. λέγεται δὲ καὶ ὁ δύσκολος λόγος, ὁ ἔχων πάθος ἐν ἑαυτῷ μὴ φαινόμενον. καί γρῖφος est δύσκολον ζήτημα, ὅ ἐν συμποσίοις ἔλεγέ τις, προκειμένης φιάλης οἴνου γε μέσης, καί ὁ ἀπολλυσάμενος τὸ ἀποῤῥηθέν, ἐξέπινεν, εἰ δὲ μὴ ὁ ἀπορήσας ἐνεφορεῖτο τῆς φιάλης. Griphus, quæstio difficilis erat, quam aliquis in conuiuiis proponebat, patera vino plena in medio posita. si soluisset quæstionem, epotabat. si non soluisset, ei multa irrogabatur. Reperio & γριφεύειν, pro eo quod est enigmata soluere. In vetere quodam marmore, hęc parasiti verba memorãtur: Valete, abite in rem vestram, viatores optimi: his nugis, griphis, ambagibúsque meis condonate. De his griphis & ænigmatibus conuiualibus multa Athenęus dipnosop. 10. c. 17.





Ter bibe vel toties ternos: ſic myſtica lex eſt:
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,
Imparibus nouies ternis contexere cubum.

COMMENTARIVS.

Ter bibe vel toties) In ipſo eidyllij veſtibulo, tanquã Alcibiadis aliquem nobis Silenum propoſiturus Auſonius, ter vel nouies eſſe bibendum monet, vt qui à rebus ludicris auſpicatus, ſtatim ad penitiora philoſophiæ, poëticæ, hiſtoriæ, & aliarum diſciplinarum penetralia nos deducat. Ter autem eſſe bibendum, nomine Charitum, vt nouies Muſarum gratia, iam admonuimus ex Varrone & Horatio.

Sic myſtica lex eſt) Etiam in cõuiuijs aliquid myſterij vt in ſacrificijs obſeruatum fuiſſe veterum monumenta docent: quam tamen obſeruationem & ritum, vt ſuperſtitionum plenum damnarunt iam olim fortes & eruditi illi pietatis noſtræ vindices. Hîc quantùm conijcio, per myſticã legẽ intelligit aliquod arcanũ, vt quod quaſi ſanctum & religioſum aliquo tegitur inuolucro, & obſcuro ſymbolo, ne à vulgo profano intelligatur. & id quidem iocando agit Auſonius, vt alludat ad numeros Pythagoricos, aut ad coniunctionem Charitum cum Muſis, vt apud Theognidem,

Μοῦσαι καὶ χάριτες, κοῦραι διὸς ---
Ὅττι καλὸν φίλον ἐστὶ, τὸ δ᾽ οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστὶ,

Quibus ſignificat, doctos vnà cum eruditione facilitatẽ morum & lepôrem blandi ſermonis habere debere. Vt verò ſine Muſis Gratia omnis abeſt, ita ſine Gratijs Muſæ moroſæ ſunt, nempe omnis amabilitas abeſt & gratia. quod in diſcipulo Xenocrate Plato reprehẽdiſſe fertur, cui ſuadebat ταῖς χάρισι σπένδειν, Gratijs ſacrificare.

Vultu enim tetrico & moribus austeris erat ille, aliàs ingenij præstantis & vitæ integerrimæ. Euripides Herculle furēte ait, ταὶς μούσαις τὰς χάριτας συγκαταμιγνύσθαι, ἡδίσταν συζυγίαν, Musis Gratias coniungere, suauissimam esse copulam. Cæterùm facilè est apud auctores veteres reperire, priscorum quorundam eam fuisse religionem in ternario numero vsurpando vel obseruando, vt diuinum quidpiam in eo esse crederent: itaque apud eosdem huius numeri auspicio preces & libamina ter repetebantur, proindéque poëtam cecinisse: *Numero Deus impare gaudet*. Sed & Pythagoreos eo permultū vsos in purificationum ritibus ex eodem poëta clarum est:

Idem ter socios pura circunluit vnda.

Ideò non mirum videri debere, si de ternario numero mysticam legem latam esse dicat hic noster, quę etiam in conuiuijs locum habuerit, & quam in bibendo veteres obseruarint.

Imparibus toties ternis contexere cubum) Hunc locum vtcunque mihi videbar assequutus, sed tamen quanquam non erranti omnino, at caliganti potius, comiter viam monstrauit Praïus meus, cuius iudicium tanti facio in Mathematicis, vt non plus apud me valeat Euclidis auctoritas. Vult ergo hîc Ausonius idem iudicium esse, siue quis tria sumat, siue ter tria, siue nouies terna: quia licet inde tres oriantur numeri, scilicet tria, nouem & viginti septem, inter se distincti specie, duorum tamen posteriorum radix est ternarius. Si enim multiplices ternarium in se, habebis nouem, numerum scilicet quadratum, cuius radix est ternarius. Rursus, si nouem ducas in tria, vel sumas nouies terna, habebis viginti septem, numerum scilicet cubicum, cuius radix erit idem ternarius numerus. Est autem cubus, propriè corpus rectangulum sex quadratis ęqualibus contētum, quod idcircò à Græcis dicitur ἑξαέδρων: Quod verò magna sit affiinitas inter Geometriam & Arithmeticam, trāslata sunt multa vocabula Geometricis figuris designandis accommodata ad numeros: atque ideo tribus Geometriæ fundamentis, lineæ, superficiei, corpori, Arithmetici triplicem numerorum considerationem accommoda-

runt. Aut enim absolutè & simpliciter numeri considerãtur, túncque lineæ respondẽt, & lineares appellantur: Aut spectantur vt prodeunt ex ductu cuiusque in seipsum, & hoc modo superficiei ęquiparantur, vnóque nomine communi appellantur quadrati, à figura quadrata, quæ planarum est omnium prima: veluti si quis binarium in se ducat, producitur numerus quaternarius, qui quadratus nuncupatur: vel si quis ternarium in se ducat, habebit nouem, nempe quadratum numerum. Si denique numeri considerantur, vt ex duplata multiplicatione alij ex alijs oriuntur, tunc solido seu corpori respondent, & à prima solidorum figura, scilicet cubo, cubici appellantur: vt si quis in se ducat tria, habebit nouem, quę nouem rursus ducta in tria, producunt viginti septẽ, numerum cubicum, quomodo hîc nomen cubi vsurpatur. Vt autem cubum illustremus, addamus licet illa Pierij ex 39. lib. de sacris Ægyptiorum literis, vbi de trino commentatur: Accedit huc cubus, inquit, ex trigonalibus figuris quatuor compactus triangulis, cuius hieroglyphicum est SVPREMVM NVMEN. Nã cum in Mathematicorum datis punctum referatur ad monadem, linea ad dyadem, vtpote quæ ab aliquo tendat ad aliquid: superficies verò sit ternarius, qui figuras inter rectilineas principium habetur, ac quoddam veluti elemẽtum, inde si corpus solidum cõficiatur, cubus erit, triangulis quippe quatuor rectilineis in corpus vnum coagmentatis, atque compactis: ita prima pyramis inter solida emicat, cuius basis tres ostentat angulos, quartus in ipsius figuræ summitate positus, vt numinis formam, ita & nomen apud Pyrhagoricos accepit. Addunt Magi simplex quoque triangulum æquilaterum diuinitatis indicium esse, siue rerum cœlestium effigiẽ, vtpote quod sit sibi ipsi æquale, difficulter moueatur, & ad malum declinare non possit.

Iuris idẽ tribus est quod ter tribus, omnia in istis.
Forma hominis cœpti, plenique exactio partus:
Quíque nouem nouies fati tenet vltima finis.

Omnia in istis) Philosophorum & Medicorũ variæ fuerunt opiniones de fœtus in vtero conformatione. Scribit Auicennas, die nono postquam virile semen mulier concepit, in eo rubeas esse guttulas, & vt sanguinea quædam filamenta: die ter nono, id est vicesimo septimo carnem quandam humidam iam succrescere, & tum mẽbra ipsa iam discerni posse quodãmodo: nono post die, id est sexto & tricesimo, caput ab humeris, & extrèmitates à ventre & lateribus distingui. Quæ tamen vt plurimum accidere nonnulli ex recentioribus obseruarunt, & id quidem in alijs tardius, citiúsque in alijs absolui.

Forma hominis cœpti) Vetus liber, forma hominis cœpit: quam lectionem probant eruditi, vtraque tamen scriptura defendi facilè potest.

Quique nouem nouies) Certum vitæ tempus homini constitutum non est: quod ipsa experientia, omnium Philosophorum scriptis validior, apertissimé conuincit. Plato 10. de Repub. humanam vitam centum annis terminat, Solon apud Laërtium sexagesimo anno definit: alij denique vnà cum nostro Ausonio, primum & octogesimum ætatis humanę annum (qui nouem nouennarijs constat) fatalem & climactericum statuunt. Huc confer Plinij historiæ mundi cap. 48. & 49. lib. 7. déque climacterico Gellius libro 15. cap. 7.

Tres Ope progeniti fratres, tres ordine Parcæ:
Vesta, Ceres, Iuno, sexus muliebre sorores.
Inde trisulca Iouis sunt fulmina, Cerberus inde,
Inde tridẽs: tripléxque Helenes cũ fratrib⁹ ouũ.

Tres Ope progeniti) Scribit Hesiodus 1. Theogenię, tres Saturni ex Rhea siue Ope sorore liberos masculos esse susceptos, Plutonem, Neptunum, Iouem: totidem fœminas, Vestam, Cererem, Iunonem. Sic enim:

Ῥεῖη δ᾽ αὖ δμηθεῖσα Κρόνῳ τέκε φαίδιμα τέκνα
Ἱστίην, Δήμητρα καὶ Ἥρην χρυσοπέδιλον,
Ἰφθιμόν τε Ἀΐδην, ὃς ὑπὸ χθονὶ δώματα ναίει.
Νηλεὲς ἦτορ ἔχων καὶ ἐρίκτυπον Ἐννοσίγαιον
Ζῆνά τε μητιόεντα, θεῶν πατέρ᾽ ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

Quos verſus ita reddo Latio:

Ex Ope ſuſcepti Saturni ſemine nati
Veſta, Ceres, Iunóque placet cui calceus auro
Intextus: Pluto tenebroſa in tartara miſſus
Fortis & immitis: ſtridens Neptunus in vndis
Iuppiter, & ſapiens, pater ille hominum atque Deorum,

Veſta, Ceres) Sic habet Gryph. liber, Veſta, Ceres & Iuno decus muliebre ſorores: at (ſexus muliebre) legit per appoſitionem Syluius, probatque ex Nonio & Priſciano, apud veteres, ſexus in neutro reperiri. Ianus Parrhaſius, vir ingenij certé magni, libro de rebus per epiſtolam quęſitis, quadam ad Iacobum Varronem Cremonenſem epiſtola ſic eruditè locum hunc emendat:

Tres ope progeniti fratres, tres ordine partæ:
Veſta, Ceres, Iuno, ſecus muliebre ſorores.

Tris in accuſatiuo tantũ dicimus, inquit, & quanquam numerus in Parcis arrideat, antiqua tamen, ſuáque lectio eſt, partæ, refertur enim ad Veſtam, Cererem, Iunonem, quas vocat muliebre ſecus, id eſt fæminei ſexus Deas. Etenim ſecus, vt in Catholicis dicit Probus, duas res ſignificat, aduerbium ſeparandi (vt, haud ſecus ac iuſſi faciunt) et ſexum. Saluſtius, virile ac muliebre ſecus: Plautus Rudente: virile ſecus nunquam vllũ habui. Ammian. Marcellinus rerum geſtarũ 16. Egreſſi promiſcuè virile & muliebre ſecus ſine ætatis vllo diſcrimine concitabant. Hæc quidem Parrhaſius. perperam alij legebant, decus pro ſecus non intellecto verbo vetere. noſter Auſonius in monoſyllabis:

Nota Caledonijs nuribus muliebre ſecus Strix,

Scio ab alijs legi, ſcelus, ſed non rectè. Idémque hic noſter in epigram. 69. *Corrupit totum qui puerile ſecus.* Sic enim legendum, non, decus, vt doctus Scaliger monet.

Tres ordine Parcæ) hæ ſunt Clotho, Lacheſis, Atropos, quòd nemini parcant κατ᾽ ἀντίφρασιν dictę. κλώθω quidem παρὰ τῦ κλώθειν, ab auocando nomen habuit, eâ enim ortus noſtri conditio deſignatur: Lacheſis ἀπὸ τῦ λαγχάνειν, ſortiendo, quòd humanæ vitæ ſtatus quaſi ſortionem habeat, & fortuna quadam agitetur Atropos:

quasi ἄτρεπτος, sine ordine, conditionem mortis repræsentat quę nulli neque ordini neque ætati parcit. Hesiodus in Theogenia Parcas nocte & Herebo natas ait, nimirum propter abditam & occultam fatorum vim. Verba hęc sunt Hesiodi:

Καὶ μοίρας καὶ Κῆρας ἐγείνατο νηλεοποίνους
Κλωθώ τε Λάχεσίν τε, καὶ Ἄτροπον, αἵτε βροτοῖσι
Γεινομένοισι διδοῦσι ἔχειν ἀγαθόν τε κακόν τε
Αἵ τ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε παραιβασίας ἐφέπουσαι
Οὐδέποτε λήγουσι θεαὶ δεινοῖο χόλοιο
Πρὶν γ' ἀπὸ τῷ δώωσι κακὴν ὄπιν ὅστις ἁμάρτῃ.

quorum versuũ sentẽtiam ita conabor Latine reddere:

Fatales genuit Diuas Parcásque seueras
Et Clotho & Lachesin sed & Atropon, à quibus vnis
Vita hominum fertur sortita bonúmque malúmque:
Excessus sectantur adhæc hominum atque Deorum,
Nec cessant incensæ animis grauioribus illæ
Quin sint, atroces, si quis deliquerit, vltæ.

Quædam alia retulit de Parcis Gellius lib. 3. cap. 16. & abstrusiora nonnulla Cælius Rhodig. cap. 17. primi antiq. lection.

Inde trisulca Iouis sunt fulmina) Plin. histor. mundi 2. cap. 16. cur fulmina Ioui potissimum tribuantur, rationem adfert, quia scilicet ex tribus superioribus sideribus, Saturno, Marte, Ioue decidant: & nomen id habent potissimũ cùm è medio, id est Ioue cadunt. Vt enim flagrante ligno carbo cum crepitu, sic à sydere cœlestis ignis exspuitur. Eiusdem lib. cap. 51. tria fulminum genera facit, sicca, humida, clara: sed de ijs nihil ad rem. Plerique cẽsent trisulca dici fulmina, quod Iuppiter, Neptunus Pluto, quanquam diuersis regionibus, communem habeant potestatem.

Cerberus) triceps, inferorum canis, quasi κρεοβόρος, carniuorus dictus, quo intelligitur terra cadauerum consumptrix, vt habet Seruius ad 6. Aeneid. Euseb. 4. præparationis Euangelicæ, Cerberum tricipitem dicit esse dęmonem perniciosissimum, qui in tribus elementis, aëre, aqua, terra, versetur.

Inde tridens) Tridẽs Neptuno tribuitur sceptri loco, pro-

pter aquæ triplicem vim: ea enim liquida est, potabilis & abundans.

Tripléxque Helenes cum fratribus ouum) Iuppiter in cycnum transformatus Ledam rapuit, ea ouum peperit, ex quo tres educti, Castor, Pollux, Helena. paulò aliter Higinus, sed hîc satis mihi fuerit indicasse.

Ter noua Nestoreos impleuit purpura fusos:
Et toties trino cornix viuacior æuo:
Quam nouies terni glomerantes sæcula tractus
Vincunt æripedes ter terno Nestore cerui:
Tris quorum ætates superat Phœbeius oscen,
Quem nouies senior Gangeticus anteit ales,
Ales Cinnameo radiatus tempora nido.

Ter noua Nestoreos) Belli Troiani tempore tertiã hominum ætatem agebat Nestor: quod nonnulli de annis trecentis intelligi volunt. Quod quomodo intelligendum sit, excutiẽdę nobis sunt veterum schedæ, ne fallamur incognita & incerta annorum supputatione. Quam γενεὰν Gręci, nos ętatem dicimus, triginta feré annis plerique definiunt, vt differit Porphirius ad quæstiones in Homerum, sed primũ Herodotus in Euterpe, quo loco scribit tres ætates, annos centum continere, τρεῖς γενεαὶ ἀνδρῶν ἑκατῶν ἔτεα εἰσι. Plutarchus eo commentario quem scribit de oraculorum defectu rationem affert, cur ætas, γενεὰ dicatur annis triginta constare, nimirũ quod iam pater esse possit qui triginta annos natus est. Ait Censorinus, de die natali, seculum esse spatium vitæ humanę longissimum partu & morte definitum. Et hoc quidem tempus γενεάν vocari Heraclitus & Zeno sunt auctores. Nec verò hîc admittendum est poëtarum & scriptorum quorundam Gręcorum testimonium, vt figmentis plenum. Quæ enim scribuntur de Tartesiorum rege Arganthonio, quem volunt centum & quinquaginta explevisse annos, credenda temerè non sunt, aut non prius habẽda pro veris, quàm distincta annorum ratio con-

ſtiterit. Nec referam huc diſſertationem Lucianicam, cuius inſcriptio Macrobij: eſt enim liber in omnium manibus: neque quod ex Ephoro memoratur, qui dicit Arcadas iactare, apud ſe priſcos reges aliquot ad 300. vixiſſe annos: id enim fortaſſe de trimeſtribus annis intelligitur. Nam Arcades in Achaia trimeſtrem annum primum habuiſſe, idẽ Cenſorin. retulit, eámque ob rem προσέληνοι vel προσέληνοι dicti ſunt, non quod nati fuerint antequam Lunę aſtrum in cœlo eſſet (id enim eſt ridiculum putare) ſed quod prius annum habuerint, quàm is in Græcia conſtitueretur ad Lunę curſum. At Cares & Acarnanes annum ſemeſtrem habuerunt, vt Solinus & Cenſorin. tradunt. Iberis annum fuiſſe quadrimeſtrem ſcribit Xenophon in Aequiuocis. Qu. Curtius in Alexandro, totidem dierum annum, quot nunc habemus, Perſas habuiſſe retulit. Epigenes centum & duodecim annis longiſſimam vitam ſtatuit, vel vt Plinius, 122. Beroſus 106. Plinius 117, alij ad centum & viginti annos produci poſſe aſſeuerant. quidam etiam vltrà. Certé iam olim apud varias nationes, varia ętatis humanę vitę deſcriptio fuit, vt varia in ſingulis ad circulum finitorem inclinatio eſt, quod κλίμα dicitur. Ex quibus colligimus quo ſenſu accipiendum quod ſcribitur ab Homero & Heſiodo de Neſtoris ętate: vixiſſe enim dicunt eum non tria ſecula, ſed tres γενεάς, id eſt ętates. Quod rectè & verecũdè dixit Cato apud M. Ciceronem, tertiam hominum ętatem viuebat Neſtor, belli Troiani tempore. Vtut ſit, ſi ab annis expugnatæ Troię, ab Hercule ad eius poſtremum excidium numeremus, non multùm abfuit Neſtor ab anno ętatis centeſimo & viceſimo: ſunt qui eum non exceſſiſſe annum nonageſimum malint.

Ter noua purpura) Per purpurã, ter nouam perſpicuè intelligit fila fuſóſque Parcarum, ſed obſcurius quàm Poëtę, vt qui Griphum ſcribat. nam hîc purpuram filum interpretor, quod vitam ſignificet, huc alluſit Ouid. lib. de Triſtib. cùm ait:

O duram Lacheſin, quæ tam graue ſydus habenti
Fila dedit vitæ non breuiora meæ.

Illud etiam mihi occurrit:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo.

Quanquam purpuram pro ſanguine aliâs accipi non ignorem. neque mihi ſuccurrit ratio qua Syluianam commentationem aſperner, qui hîc per purpuram intelligit nobiliorum vitam, qualis Neſtor fuit.

Et *toties trino cornix)* Neſtoream ętatem ter ſuperat Cornix: vel tres Neſtoris ętates viuit Cornix: Cornicis ętates tres ceruus: tres cerui ętates coruus: corui tres ętates Phœnix: quod tamen veterum fuiſſe commẽtum, & Heſiodi maximè, colligit Plinius 48. cap. 7. Quo pertinet epigramma Virgilianum:

Ter binos decièſque nouem ſuperexit in annos
Iuſta ſeneſcentum, quos implet vita virorum,
Hos nouies ſuperat viuendo garrula cornix:
Et quater egreditur cornicis ſecula Ceruus:
Alipedem ceruum ter vincit Coruus: at illum
Multiplicat nouies Phœnix, reparabilis ales:
Quam vos perpetuo decies præuertitis æuo
Nymphæ Hamadryades, quarũ longiſsima vita eſt
Hi cohibent fines viuacia fata animantum.
Cætera ſecreti nouit Deus arbiter æui.

Sed & non incommodè huc apponam Heſiodi verſus, quos etiam video citatos à Plutarcho, commentario de oraculorum defectu, ſub Naiadis perſona varias animalium ętates ita complectentis:

Εννεα τοι ζώοι γενεὰς λακέρυζα κορώνη
Ἀνδρῶν ἡβόντων ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος
Τρις δ' ἐλάφους κόραξ γηράσκεται, αὐτὰρ ὁ φοῖνιξ
Εννεα τοὺς κόρακας. δέκα δ' ὑμεῖς τοὺς φοίνικας
Νύμφαι ἐϋπλόκαμοι. κοῦραι Διός αἰγιόχοιο. id eſt

Ter tria ſecla hominis transmittit garrula cornix:
Quatuor at peragit cornicis tempora ceruus,
Et cerui ætatem coruus ter præterit ater:
Coruinos annos nouies agit Indica Phœnix:
Sed vos ô Nymphæ ſoboles formoſa tonantis,
Phœnicis decuplos longè duratis in annos.

Aeripedes cerui) non æripedes, quaſi aëripedes ab aëre, ideſt ἀεροπόδες, veloces à pedum pernicitate, ſed ab ære ductum epitheton. Ceruam enim Gręci dicunt χαλ-

κοπόδην quod Poëtarum est figmentum. Placet itaque Hesichij explicatio, qui χαλκοπόδας intepretatur ἰσχυροπόδας. Hoc acceptum refero Scaligero.

Phœbeius oscen) Phœbo auis sacra. Oscen, auis ore faciēs auspicium, vt ceruus, cornix, noctua, ait Festus. Cic. I. de Diuinatione: Tum à dextra, tum à sinistra parte oscines. Horat. 3. Carminum: Oscinem coruum prece suscitabo.

Gangeticus ales) Phœnix, auis, à Gange fluuio, circa quē fertur incolere, Plin. lib. 10. Solin. cap. 46. Ouid. 15. Metamorph. Huic affine Ausonianum illud epistola ad Paulinum:

Longeuæ tantùm superamus honore senectæ:
Quid refert? cornix non ideò ante cycnum?
Nec quia mille annos viuit Gangeticus ales,
Vincit centum oculos regie pauo tuos.

Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianæ.
Tres Charites, tria fata, triplex vox, trina elemēta.
Tres in Trinacria Sirenes: & omina trina.
Tres volucres, tres semideæ, tres semipuellæ,
Tres tribus ad palmam iussæ certare camenis,
Ore, manu, flatu, buxo, fide, voce canentes.

Ter gemina est Hecate, &c.) Virg. in 4.

Tergeminámque Hecatem, tria virginis ora Dianæ.

Sic Ouid. I. Fastor: *Ora vides Hecates in tres vergentia partes.* Hecate eadem quæ Diana, quòdque trinis præesse crederetur, triformis pingebatur: vel propter numen triplex triplicem habuit appellationem. In cœlo enim Luna, in terris Diana, in inferis Proserpina dicebatur.

Tres Charites) Gratię tres, Aglaia ab ἀγλαΐζειν ornando & colendo: Thalia quòd vireat, à θαλεῖν: Euphrosyne lętitiam sonat: quorum quidem omnium hęc est ratio, quia qui gratiam confert, ornat colitque: qui beneficium accipit, meminisse debet: Nam gratię memoria nunquam debet excidere: denique dantis &

accipientis summa consensio & animorum alacritas intelligitur. De his sic Hesiodus:

Τρεῖς δέ οἱ Εὐρυνόμη Χάριτας τέκε καλλιπαρήους
Ἀγλαΐην καὶ Εὐφροσύνην, Θαλίην τ' ἐρατεινήν:

Atq; ex Eurynoma Charitas tres sustulit ille (nempe Iupiter)
Insigni forma Aglaiam, Euphrosynem Thaliámque.

Tria fata) vel hoc de Parcis intellige, vel de tribus Stoicorum principijs, Ioue, natura, fato. Plutarc. primo de Placitis. Quid si hoc referamus ad fata Troiana, quæ dicebantur inesse Palladio, Rhesi equis, & sepulchro Laomedontis? fatis enim fuisse proditum aiunt Ilium nunquam excisum iri, si Palladium, Palladis simulachrũ seruaretur: si Rhesi Thraciæ regis equi pabula gustassent Troiæ Xanthúmque bibissent: postremóque si Laomedontis tumulus nunquam violaretur.

Triplex vox) nempe pressa aut summissa: tonans vel sublimis: mediocris aut media.

Trina elementa) Aristoteles 3. de Cœlo & mundo eos reprehendit qui tria dumtaxat elementa statuunt: sed Ausonius Lucretium sequutus est, vt ad suum numerum ternarium omnia referret. Sic enim Lucretius:

Principio maria ac terras cœlúmque tuere,
Quorum naturam triplicem, tria tempora Memmi,
Tres species tum dissimiles, tria talia texta
Vna dies dabit exitio. ————

Tres in Trinacria Sirenes) Tres in mari Siculo fuisse Sirenas Parthenopen, Ligiam, Leucosian: poëtæ celebrant, has quidem supernè puellas, inferiore parte pisces. Sunt qui legant: Tres in Trinacria Siredones, omina prima. Siredones autem cur malint, nondum percipio. Legerã autem iamdiu tria ominum genera statui ex veterum superstitione, sternutationem, palpitationem, auris tinnitum. de his apud alios.

Ter tribus ad palmam) Ouid. 5. transform. tradit Pieri nouem filias multùm sibi arrogantes in certamen cantus Musas aliquando prouocasse, sed ad extremum Heliconias Deas, idest Musas vicisse: hinc illæ Pierides in picas transformatæ: quibus tandem Musæ pennas detraxerunt, sibique coronas confecerunt in victoriæ signum.

Tres sophiæ partes, tria Punica bella, trimestres
Annorum, cœlique vices, noctísque per vmbrã
Tergemini vigiles: ter clara instantis Eoi
Signa canit seruus deprenso Marte satelles.

Tres sophiæ partes) Cicero I. Academica: Fuit iam olim, inquit, accepta à Platone philosophandi ratio triplex, vna de vita & moribus: altera de natura & rebus occultis: tertia de differendo &c. Prima est Ethica, quæ morũ & bene viuendi rationem tradit: altera, Physiologia, quę de rerum naturis, earumque causis, vt cœlo, quatuor elementis, animalibus, plantis, rebusque omnibus materia & forma constantibus disputat. Tertia est Logica, seu Dialectica, differendi doctrina, veri & falsi disceptatrix & iudex. Rursus Ethica triplex statuitur. Vna enim est quæ singulis præcepta dat de vitæ officijs, & affectibus moderandis: quæ quia nomine proprio caret, Ethicam eam generali vocabulo appellant. Altera est Oeconomica, quæ domus & familię regendæ præscribit regulas, Politica, tertia est, quæ Reipub. & ciuitatum administrationem docet.

Tria Punica bella) Primo bello Punico pro Sicilia suscepto pop. Romanus annis tribus & viginti vario Marte dimicauit: quo tempore fidem in suos & admirabilẽ in perferendis cruciatibus patientiam Attilius Regulus probauit: Alterum bellum in Annibalem gestum, qui annis ferè septẽdecim ceruicibus Italię inhęrẽs, Romanos omni modo fatigauit. Tertium denique suasit M. Cato vir maximus, quod cõtra Masinissam populi Rom. sociũ violato fœdere Carthago arma sumpsisset, quę toto triennio obsessa, quarto demum anno capta est Duce Scipione minore. Liuius 3. decade, Plutar. in Fabio Max. & alij plures.

Trimestres annorum cœlique vices) Annus duodecim mensibus constans, in quatuor partes ęquales diuiditur, Ver, Æstatem, Autumnum, Hyemem: quarum partium singularum tres menses: quod ipsemet Ausonius est cõplexus eleganti carmine in epigrammatis. Vt autem sunt qua-

tuor mensium terniones, Martius, Aprilis, Maius, qui ferè sunt Veris: Iunius, Iulius, Augustus, æstatis: September, October, Nouember, autumni: December, Ianuarius, Februarius, hyemis: ita & astrorum siue cœlestium syderum totidem terniones obseruantur. Verna enim dicuntur hæc, Aries, Taurus, Gemini: alia æstatis, Cancer, Leo, Virgo: vt illa Autumni, Libra, Scorpius, Sagittarius: & ista denique Hyberna, Capricornus, Aquarius, Pisces.

Noctisque per vmbram) Excubiæ vigilięque dierum ac noctium erant olim trium horarum: dies enim & nox in quatuor partes ęquales distribuebatur. dicebatur itaque πρώτη νὺξ, πρώτη φυλακὴ, πρῶτος ὕπνος. Noctis initium quo tempore agebantur excubiæ, prima vigilia incipiebat, & tessera (militare signum, verbum vigiliarum, Gallis, *mot du guet*,) dabatur. Vnde accipere, dareque tesseram. δευτέρα φυλακὴ, secunda vigilia, quòd vt Varro ait, omnes tunc cubent. τρίτη φυλακὴ, tertia vigilia, nox intempesta, cùm tempus agendi nullum est, testibus Varrone & Macrobio. Id temporis nonnulli cum concubio interdum confundunt, & silentium noctis vocant. Eodem modo apud Iudæos, aliosque populos, horas noctis in quaterna spatia secernebant, quorum singula tres horas caperent.

Ter clara instantis Eoi signaq; canit) pendet hoc à superiore. videtur innuere quartam noctis vigiliam, in qua tubicen instantis noctis signum tuba caneret.

Deprenso Marte) Liber vetus habet, depenso, id est, ad examen & ęqualiter partito. Vigiliæ enim veterum cōstabant partibus exactè tributis. Ergo hîc Martem pro Martijs castris poni, acutè colligit Scaliger πολυμαθὴς καὶ εὔστοχος, nempe in quibus examinatis ęqualiter quatuor partibus noctis vigilię constituebantur.

Et qui conceptus triplicatæ vespere noctis,
Iussa quater ternis suspendit opima tropæis.
Et lyrici vates numero sunt Mnemosynarum,
Tris solas quondam tenuit quas dextera Phœbi.

Sed Sicyon toties ternas ex ære sacrauit
Relligione patrum, qui sex periisse timebant.

Et qui conceptus) Iupiter ex Alcmena vxore Amphitruonis Thebanorum principis, assumpta mariti persona, ex tribus in vnam contractis noctibus Herculem suscepit. quod plerique referunt ad futuri roboris significationem: putant enim non frustra tantùm temporis in eo puero procreando fuisse impensum, vt qui ad monstra deterrima subigenda, deque medio tollenda gigneretur à Ioue. Lege Diodor. Sicul. 4.

Iussa quater ternis) Hercules adolescens à nouerca Iunone solicitatus, varijs periculis obiectus est, sed duodecim maximè certaminibus innotuit, ex quibus immortalem apud omnes laudem est consecutus. De his Virgil. in apendicibus, & anonymus quispiam in epigram. Græcorum collectaneis:

Ὤλεσα τὸν νεμέης θῆρ᾽ ἄπλετον, ὤλεσα δ᾽ ὕδρην,
Καὶ ταῦρον, κάπρου δ᾽ ἀμφιπίναξα γένυν.
Ζωστῆρ᾽ ἑλκύσας, πώλους διομήδεος εἷλον.
Χρύσεα μῆλα κλάσας, γηρυόνην ἔλαβον.
Αὐγείαν ἐδάην, κεμὰς οὐ φύγεν, ἔκτανον ὄρνις.
Κέρβερον ἠγαγόμην, αὐτὸς ὄλυμπον ἔχω. id est,

Perdomui Nemeæ monstrum, mala bestia Lernæ
Concidit, & Taurus, deinde necatus aper.
Threiciæ zonam eripui, Diomedis equos, hinc
Geryonem capiens, aurea mala tuli.
Augiam noui, cecidit cerua, atque volucres,
Cerberus abductus: lætus in astra feror.

Et lyrici vates) Poëtæ lyrici apud Grecos nouem, Pindarus, Alcæus, Sappho, Stesichorus, Ibicus, Anacreon, Bacchilides, Simonides, Alcmæon, quorum omnium vitas est diligenter persequutus Gregor. Gyraldus 9. de Poëtarum historia.

Mnemosynarum) id est Musarum: quæ Iouis & Mnemosynes filiæ dicuntur. Hesiodus Theogonia:

Μνημοσύνης δ᾽ ἐξαῦτις ἐράσσατο καλλικόμοιο

Ἑξῆς αἱ μοῦσαι χρυσάμπυκες ἐξεγένοντο
Ἐννέα. quod ita reddebam:

Mnemosynem est pulchro complexus crine decoram,
Ex qua nempe nouem redimitus tempora velo
Suscepit Musas Diuum rex Iuppiter aureo.

Musas esse nouem nemo nescit, quarum nomina & allegorias huc ad ferrem, si quid ad nostrum argumentum viderem conducere. Tantùm adijcio Mnemosynas dici, id est, Mnemosynes filias. ea verò est memoria disciplinarum & eruditionis omnis procreatrix. Sic enim Plutarc. περὶ παίδων ἀγωγῆς: μνήμη ὥσπερ τῆς παιδείας ἐστὶ ταμεῖον, καὶ διὰ τοῦτο μητέρα τῶν Μουσῶν ἐμυθολόγησαν εἶναι τὴν μνημοσύνην αἰνιττόμενοι καὶ παραδηλοῦντες ὅτι οὕτως οὐδὲν γεννᾶν καὶ τρέφειν ὡς ἡ μνήμη πέφυκε. hoc est. Memoria est tanquam eruditionis promptuarium: quam ob causam poëtæ Memoriam Musarum matrem esse suis figmentis commenti sunt, quo ænigmate significant nihil tam gignere & alere eruditionem quàm facit memoria.

Ter solas quondam &c.) Seruius in 7. eclogam Virgilianam ex Varronis sententia tres olim Musas fuisse commemorat, vnam quæ ex aquę motu nascatur: alteram quam aëris icti sonus efficit: tertiam quę mera tantùm voce consistit: Quantùm tamen ad hanc Musarum historiam attinet, vnus D. Augustini locus satis erit. sic enim ille: Non sunt audiendi errores gentilium superstitionum, qui nouem Musas Iouis & Memoriæ filias esse finxerunt. Refellit eos Varro, quo nescio vtrum apud eos quisquam talium rerum doctior vel curiosior esse possit. Dicit enim ciuitatem nescio quam (neque enim recordor nomen) locasse apud tres artifices terna simulachra Musarum, quæ in templo Apollinis dono poneret, vt quisquis artificum pulchriora formasset, ab illo potissimùm electa emeret. Itaque contigisse vt opera sua quoque illi artifices æquè pulchra explicarent, & placuisse ciuitati omnes nouem, atque omnes emptas esse, quibus postea dicit Hesiodum poëtam imposuisse vocabula. Hæc Augustin. Nomen autem ciuitatis cuius se fatetur non recordari, Sicyon est, vt ex veterum mo-

nimentis colligimus, & id quidem doctè Gregorius Gyraldus syntagmate de Musis retulit: quanquam alij non Sicyon, sed Cytheron legi malint ex veterib. libr.

Tenuit quas dextera Phœbi) Phœbum μυσηγέτην, Musarum præsidem ducemque Plato statuit: eiusque rei caussam videtur afferre Macrob. cap. 2. secundi in Somnium. Huc verò non incommodè traducam quod scribit Plinius cap. 1. vltimi natur. historię de Pyrrhi quadam gemma. Regia fama est, inquit, gemmæ Pyrrhi illius qui aduersus Romanos bellum gessit. nanque habuisse traditur achatem, in qua nouem Musæ & Apollo cytharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturę ita discurrentibus maculis, vt Musis quoque singulis sua redderentur insignia.

Sed Sicyon) Quod hîc Ausonius contigisse ait in Sicyone, vel, vt meliùs, in Cytherone, sicuti admonui mox, Pausanias in Thespijs id factum fuisse dicit.

Qui sex periisse timebant) alij non perijsse, sed premisse legunt. premisse id est in lucem edere. quasi diceret: veteres illi verebantur admittere Musas sex, sed aut tres, aut ter ternas, persuasi religione ternarij numeri.

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo:
Qualia bis genito Thebis Trieterica Baccho.
Ter primas Thracum pugnas, tribus ordine sellis
Iuniadæ patri inferias misere sepulto.

Trina Terentino) Festus Pompeius scribit Terentum, locum fuisse in Martio campo, quo in loco Ditis ara occultabatur, indeque Ludos Terentinos dictos. Papinius in Syluis,

Aut instaurati peccauerit ara Terenti.

Varro, de scenicis Originibus Lib. 1. tradit, cùm multa portenta fierent, & murus & turris quę sunt inter portã Collinam & Exquilinam de cœlo tacta essent, ideóque libros Sibyllinos Decemviri adissent, renunciarunt vt Diti patri & Proserpinæ Ludi Terentini in campo Martio fierent tribus noctibus, & hostię Furuę immolarent

ur, vtq; Ludi centesimo quoque anno fierent. Valerius Maximus lib.2.cap.4.rerum memorabilium, repetit initium ludorum secularium, à Valesio quodam, vitę rusticę viro locuplete, qui vt tribus liberis succurreret, oraculum accepit vt Tarentum peteret. Huius postea Valerius Poplicola secutus exemplum, apud aram eandẽ trinoctio ludos fecit.

Trieterica Baccho) Liberi patris sacra tertio quoque anno innouabantur, ait Seruius in illud Virgilian. ex 4. Æneid.

——*& audito stimulant Trieterica Baccho* —— *orgia*

eadem & Nyctilenia, quòd noctu fierent appellabantur.

Tres primas Thracum pugnas) Marcus & Decius Bruti in demortui patris honorem primi gladiatorum ludos instituerunt, à quibus orta consuetudo fertur mortuis honorem eum exhibendi. Liuius 28. ab vrb. cond. Scipionẽ ait rediisse Carthaginem nouum vt munus gladiatoriũ ederet, quod patris & patrui mortuorum causa parauerat. Valerius Maximus lib.2.cap.5. Gladiatorum munus primum Romæ datum est in foro Boario, Ap. Claudio, & Q. Fuluio Coss. dederunt M. & D. filij Bruti funebri memoria patris cineres honorando. Thraces genus esse gladiatorum Verrius docet. Cęterùm instauratos ter ludos intelligi voluit, in quo ait, —*tribus ordine bellis*, quam rem me Parrhasius docuit. Et eum quidem ipsum locum non vno fœdatum mendo correxit è veteri exẽplari Ios. Scaliger, legit enim sic,

Ter primas Phæacum pugnas tribus ordine bellis,
Juniadæ patrio inferias misere sepulchro.

Thracas autem gladiatores Phęacas ideò vocat Ausonius, quia cùm essent duo genera funerum olim apud Romanos, indictiuum & simpludearium, indictiuo ludi adhibebantur: simpludeario minimè, quòd dictum videtur à simpio, eo quòd simplex esset. Sed indictiuo funeri duo adhibebantur, ludi & desultores: simpludeario ludi dumtaxat: & id genus dictum quasi simpli ludiarium. Eorum verò Phęacũ exercitia in munus gladiatorũ primũ à Iuniadis mutata fuisse testãtur veteres. De multis

gladiatorum generibus copiosè Lazius commentariorum Reipub.Rom.lib.10.Pręter enim Thraces, qui armatura Thracica, & Mirmillones,qui ritu Gallico vtebantur,enumerat pugiles,à pugnando nominatos (cōmune id nomen fuit gladiatorum omnium) Athletas, pancratiastas, pisticos, hoplomachos, Retiarios, bestiarios, rudiarios, &c. Hunc ipsum Ausonij locum eruditus vir Petrus Faber,Semestrium lib. 2. illustrauit adductis aliquot veterum auctorum locis.

Thracum) Auson.in Monosyllabis: Quis Mirmilloni contenditur? ęquimanus Thrax.

Illa etiam thalamos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes & quadrupes foret, & tripes, omnia solus.
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Illa etiam thalamos &c.) Perspicuum est id de Oedipodis historia intelligi, qui quòd ænigma propositum à Sphinge soluerit,sororē Creontis Thebanorum Imperatoris vxorem duxit. Sphingis autem fuit hęc quęstio: quod animal esset quadrupes, bipes, tripes? hominem esse statim respondit Oedipus, habita ratione primùm infantis,qui ad morem quadrupedū primùm repit,propter membrorum imbecillitatem: deinde adolescentis & firmioris ętatis,quę bipes:hinc senis, qui baculo plerumque fultus tripes esse apparet. Lege Plinium 8. cap.21.& 11.cap.72.itémque 35.cap.12.

Qui bipes & quadrupes &c.) Hoc ęnigma reperio ex Asclepiade apud Athęneum,his planè verbis, lib.10.ca. vltimo.

Ἐςὶ δίπουν ἐπὶ γῆς καὶ τέτραπον, οὗ μία φωνὴ
Καὶ τρίπου, ἀλλάσσει δὲ φυὴν μόνον, ὅσ᾽ ἐπὶ γαῖαν
Ἑρπετὰ κινεῖται, ἀνά τ᾽ αἰθέρα, καὶ κατὰ πόντον,

Ἀλλ' ὁπόταν πλείστοισιν ἐπειγόμενον ποσὶ βαίνῃ
Ἔνθα τάχος γυίοισιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτοῦ.

Est bipes in terris & quadrupes, haud eadem vox,
Et tripes, immutat speciem hoc ex omnibus vnum,
Quæcunque in terris reptant, volat æthera circum,
Pérque mare: ast vbi iam pedibus compluribus auctum
Accelerat gressum, vietis tum maxima membris
Segnities ac torpor adest, minimúmque vigoris.

Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.
Humana efficiunt habitacula ter genus artes,
Parietibus qui saxa locat, qui culmine tigna,
Et qui supremo fucat tectoria cultu.

Trina in Tarpeio) Vidit hunc locum Gallię nostrę Lumen, doctissimus Turnebus aduersar. 3. cap. 1. & per tria consortia rectè intelligit Iouem, Iunonem, Mineruam. Siquidem Tarquinius Priscus in Sabinos vltimo bello decertaturus tribus ijs Dijs templum vouerat, quod tamen morte pręuentus excitare, nedum incipere non potuit. Hoc itaque inchoatum est à Tarquinio Superbo, at non perfectum: proinde pop. Romanus tandem absoluit, pérque Horatium Puluillum consecrauit. Halicarnasseus Dionys. 3. 4. & 5.

Humana efficiunt habitacula) Ædium conficiendorum artifices tres, Latomi, qui parietes lapideos statuunt: fabri lignarij, qui ligna & tabulamenta locant: & denique qui parietes calce, gypso vel alia quacunque materia poliunt & incrustant.

Hinc Bromij quadrantal, & hinc Sicana medimna.
Hoc tribus, hoc geminis tribus explicat vsus agendi.

Bromij) Bacchi, id est, vini παρὰ τοῦ βρέμειν, a fremendo.

Quadrantal) Festus Pompeius accipit pro amphora pedis quadrati octo & quadraginta sextariorum capaci. Nonnulli cubum appellant, quia ex quatuor duodenis efficitur numerus quadratus 48. Est verò quadrantal liquidorum mensura, vt aridorum medimna, sicut tritici, ordei &c. Romana porrò medimna est sex modiorum: Sicana verò quinque, vt explicat Budęus 5. de Asse.

In Physicis tria prima, Deus, mundus, data
forma,
Ter genus omnigenum, genitor, genitrix, generatum.

In Physicis tria prima) Scribit Plutarc. 3. cap. primi de Placitis, Socratem & Platonem tria principia rerum constituisse, Deum, materiam, Ideam, id est, θεὸν, ὕλην, εἰδέαν. Deum esse mundi mentem: materiam verò id quod primum generationi subiacet: Ideam, substantiam incorpoream in mente diuina. Sed tamen ex Philosophia Platonica compertum habemus, aliud esse Deum, aliud mentem mundi, vel animam mundi, aliud mentē Dei, aliud mundum. De quibus hîc non multà, quia id Philosophorum pensum est.

Per trinas species trigonorum linea currit,
Aequilatus, vel crure pari, vel in omnibus impar.
Tris coit in partes numerus perfectus, vt idem
Congrege ter trino per ter tria dissoluätur.
Ter primus par impar habet, mediúmque sed ipse
Qui medius, quinque & septem quoque diuidit vnus.
Et numero in toto positus sub acumine centri,

Distinguit solidos cubo pereunte trientes,
Aequipares dirimens parteis ex impare terno:
Et paribus triplex medium cum quatuor &
sex,
Bisque quaternorum secernitur ὀμφαλός idem.

Per trinas species &c.) Intelligit trilaterarum figurarum species esse tres, nempe triangulum ęquilaterum, quod tria ęqualia habet latera: Isoscelen, quod duo latera ęqualia: & Scalenum, quod tribus lateribus constat inęqualibus. Sic & à varietate angulorum tres distinguntur triangulorum species: prima quidem eorum est qui rectanguli dicuntur, qui nimirum vnum angulum rectum habeant, quandoquidem plures habere nō possint latera: altera eorum est qui obtusanguli, vel ambligonij nuncupantur, qui obtusi vnum angulum habent: Tertia denique eorum est qui oxigonij dicuntur, & acutos tres angulos habent.

Tres coit in partes) Ternarius, numerus perfectus, si per tria multiplicetur, nouenarium producet: qui numerus dissolutus resoluitur per eundem ternarium. Vel facilius & planius hoc modo: Ternarius numerus perfectus si per tria multiplicetur, nouenarium producit: qui nouenarius resoluitur rursus in ternarium: quandoquidē si diuidatur nouenarius perfectè, in quotiente ternarius reperietur, qui radix est ipsius nouenarij, estque verè diuisor iti dem nouenarij.

Ter primus par impar) Sequentes septem versus, qui à rudioribus & Mathematum omninò imperitis negocium facessere possunt, velim ita pingui Minerua, quod aiunt, explicari: Primus par idest 2. binarius: & primus impar, 3. ternarius efficiunt 5. quinarium: qui (quinarius nempe) habet 3. & medium 1. quaternarium (nam 4. est medius inter 3, & 5.) qui numeri simul iuncti 3.4.5. producunt 12. duodenarium. Sed qui medius est ex 12. hoc est. 6. senarius, inter 5. & 7. solus diuidit 5. & 7. Qui binarius constitutus cum toto numero 12. sub centri acumi-

ne, id est eo ordine quo cęptum est à monade seu vnitate, distingunt trientes solidos cubo pereunte, id est senarios excepto cubo seu cubico numero: distingunt, inquam, partes æquipares, id est senarios ex terno impare, ternario scilicet, dirimens triplex medium, nimirum. 4.6.8. qui constant ex paribus: Hęc enim media paria sunt, cùm idem ὄμφαλος (medius & vmbilicus) 4.6. & bis 4. id est 8. secernitur.

Ius triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ,
Sacrum, priuatum, & populi commune quod vsquam est.
Interdictorum trinum genus: vnde repulsus
Vi fuero, aut vtrobi fuerit, quorumúe bonorũ.

Ius triplex) Iurisc. de Iustitia & Iure Dig. 2. l. 1. Ius aliud publicum, aliud priuatum: Publicum quod ad statum rei Romanę attinet, & complectitur sacra, sacerdotes & magistratus. Priuatum triplex, naturale, gentiũ, ciuile: Naturale, quod natura omnia animantia docuit: Gentium, quo gentes humanę communiter vtuntur, solis hominibus inter se commune. Ciuile, ius est ciuitatum proprium. Hic tamen Auson. vt ad numerum hunc ternarium accommodaret, species cum genere permiscuit, cùm dixit Ius sacrum, priuatum, publicum. Sed quia iuris vulgarem partitionem viderer tantum complexus, non erit incommodum si ex Iurisconsultorum scriptis mutuemur, quod ad rem magis facere videatur. Ius definitur à Celso, ars boni & ęqui. textus est in l. 1. §. 1. ff. de Iustit. & Iure, Ius appellatum est à iustitia: quod differt à lege, sicuti ars à pręceptione. Vt enim artes pręceptis constant: ita ius, ars boni & ęqui pręceptiones habet quibus componitur, & quas leges appellant. Iuris tres diuisiones constituunt, quarum primam sumunt à fine iuris, alteram ab efficiente causa, tertiam à materia iuris. A fine proponitur in l. 1. §. huius studij. D. de Iustit. & Iure, his omnino verbis: Iuris studij duę sunt posi-

tiones,Publicum & Priuatum, Publicum ius est quod ad statum rei Romanę spectat. Priuatum, quod ad singulorum vtilitatem. Sunt enim quędam publicè vtilia, quędam priuatim. Publicum ius in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus est totum positum. A causa efficiẽte diuisio est in altera l. 1. §. Priuatum, his verbis: Priuatum ius tribus partibus absoluitur: est enim collectum ex naturalibus pręceptis, aut gentium, aut ciuilibus. Idẽ in Inst. tit. eod. §. fi. Tertia iuris diuisio sumpta ex materia seu obiecto iuris, proponitur l. 1. D. de stat. hom. & Instit. de iure nat. §. finali. Omne ius quo vtimur vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Et hęc quidem de iuris vniuersi primis & pręcipuis partitionibus. Sed & apud Iurisconsultos tria iuris pręcepta constituta sunt, honestè viuere, neminem lędere, ius suum cuique tribuere: his conseruatur, & priuata omnis & ciuilis societas, eaque continent tres virtutes, quibus vitę omnis actio continetur, vti M. Tullio placet: modestiã inquam, seu temperãtiam, quę nihil aliud est quàm honestas ipsa, seu honestè viuendi ratio: fortitudinem, cuius proprium munus est propulsare iniurias, nemini dãnum inferre vel iniuriam: Iustitiam, quę suum cuique tribuit. Quę pręcepta tria tribus sunt opposita perturbationibus, quibus variè noster animus exercetur, Libidini, irę, auaritię. Atqui honestè se gerere nemo potest, nisi qui libidinem cohibuerit: & si quis aliquem lęserit, non potest id sine ira tentare, vel perficere: denique ius suum tribuere nemo potest, qui auarus, & alieni erit appetens.

Interdictorum trinum genus) Vt actiones in iure, sunt quę pro rerum dominio, & ad res pecuniarias competunt: sic interdicta sunt quę dantur pro possessione. Interdictum, nihil aliud est quàm verborum formula & conceptio, per quam Pętor aliquid fieri iubebat aut vetabat, cùm de possessione inter aliquos contendebatur. Interdictorum triplex diuisio: sunt enim alia prohibitoria, quibus Pretor aliquid fieri prohibebat, vt est retinendę possessionis interdictum. ei enim qui possidet, Prętor vim fieri prohibet, §. Retinẽdę, de interdict. in-

ſtitut. quò pertinent tituli Digeſtorum. Ne vis fiat, ei qui in poſſeſſionem miſſus eſt, De mortuo inferendo, Ne quid in loco ſacro, de fluminibus. Alia ſunt interdicta reſtitutoria, quibus Pretor reſtitui aliquid iubebat, cuiuſmodi eſt interdictum. Vnde vi, & Quorum bonorum: quod qua ratione ſit reſtitutorium, Accurſius adnotauit, §. Summa, in verbo, bonorum: quem ſequitur Faber, & Aretinus. eò referuntur tituli, Quorum bonorum, &, de vi & vi armata. Sunt alia exhibitoria, quibus Pretor aliquid iubet exhiberi, vt cùm liber homo ab alio inuitus detinetur, exhiberi cogitur, l. 1. D. de libero hom. exhib. Et hec quidem de prima diuiſione. Altera etiam triplex membrum complectitur, ſunt enim alia interdicta adipiſcende poſſeſſionis, alia retinende, alia recuperande. §. Retinende, de Interdict. inſtitut. & §. recuperande, eod. tit. Poſſeſſionis adipiſcende ſunt, Quorum bonorum, & Saluianum interdictum, Quorum bonorum interdictum duplex eſt: aliud enim directum, aliud vtile. directum, bonorum poſſeſſori, cæteriſque omnibus qui iure pretorio ſuccedunt, accommodatur l. 1. ff. quorum bonorum. Vtile quod ijs qui iure ciuili ſuccedunt, vt ijs ad quos hereditas vel antiquo, vel etiã nouo iure redire ſolet, l. 1. 2. 3. 4. D. de petit. hered. Saluianum, eſt quo vtitur dominus fundi de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigit tacitè, D. & Cod. de Saluiano interdicto. Poſſeſſionis retinende duo ſunt, Vti poſſidetis, & Vtrubi, in quibus actor vterque reus eſt: ſed prius datur ad poſſeſſionẽ rei immobilis: alterum rei mobilis. Vtroque autem vincit qui tempore litis conteſtare ſine vitio poſſidet. Interdictum recuperande poſſeſſionis dicitur Vnde vi, éique datur qui de poſſeſſione vi deiectus eſt contra deijcientem, vt is poſſeſſionem reſtituat, §. Recuperande. de interdic. Inſtit. l. armorum, de verb. ſig. l. Idem eſt, §. armis, D. de vi & vi armata. Tertia interdictorum diuiſio eſt, quod alia ſimplicia, nempe in quibus alter actor, alter reus eſt, vt reſtitutoria, & exhibitoria omnia: alia duplicia, in quibus par vtriuſque litigatoris conditio eſt: vt prohibitoria duo retinendæ poſſeſſionis. quæ

diuiſio ſumitur ab interdicendi formula. quando enim Pretor interdicendo, alterum tantùm litigatorem alloquebatur, interdictum ſimplex erat: quando verò vtrũque, duplex. Qua ex σχιαγραφία, rudique interdictorum delineatione intelligimus ab Auſonio non poni exactè interdictorum genera, ſed formas cum formis cõfundi. qua de re iam ſatis.

Vnde repulſus vi fuero) Pendet hæc ſpecies interdicti à ſecundo membro primę diuiſionis, quam paulò antè poſuimus: illud nempe reſtitutorium eſt interdictum quo iubet Prætor reſtitui aliquid, vt rei poſſeſſionem ei qui de illa eſt vi deiectus.

Aut vtrobi) Species eſt poſſeſſionis retinendæ, vtrubi pro re mobili datur.

Quorúmve bonorum) Iſtud eſt poſſeſſionis adipiſcendæ quod datur bonorum poſſeſſori in eum qui poſſidet pro herede, aut pro poſſeſſore.

Triplex libertas, capitíſque minutio triplex.
Trinum dicendi genus eſt, ſublime, modeſtum,
Et tenui filo: triplex quoque forma medendi,
Quæ logos, aut methodos, cuique experientia nomen.
Et medicina triplex, ſeruare, cauere, mederi.

Triplex libertas) Ex liberis hominibus alij dicuntur liberi nati, alij conſentiente domino manumiſſi, alij qui à Prætore libertatem aſſequebantur. Fiebant autem liberti aut cenſu, aut vindicta, aut teſtamento. Cicer. Topic. Cæterùm libertorum tria genera ſtatuebantur: alij enim maximam libertatem obtinebant, fiebantque Romani ciues: aut minorem, & Latini lege Norbana fiebant: vel infimam lege Ælia Sentia ex dedititiorum numero. Quas tres manumittendi formas tangit Boetius ad Topica Ciceronis. Cornelius Tacitus duas tãtùm poſuit. Quas verò fuiſſe Boetius tradit, hæ ſunt,

censſus,vindicta,teſtamentum. Plautus Caſſina: Tribus non poſſunt conduci libertatibus, quin ego hodie illis comparem magnum malum.

Capitiſque minutio triplex) Capitis deminutio eſt prioris ſtatus mutatio. Huius tria genera, maximum, mediū, minimum: tria enim habemus, libertatem, ciuitatem, familiam: quæ omnia cùm amittimus, ſumma nobis eſt capitis deminutio: cùm ciuitatem amittimus, & libertatem retinemus, media: minima verò cùm familia mutatur. L. vlt. D. de cap. minut. Idem Inſt. tit. in princ.

Trinum dicendi genus) Dicendi tria genera, ſublime, humile, æquabile ſeu medium: in vnoquoque aliqui floruerunt, ait Cicero in Oratore perfecto: vt in ſublimi Aeſchines: in tenui Lyſias: in temperato Iſocrates. Sic apud Latinos in grandi Liuius: in exili Terentius: in æquabili Cæſar. Gellius noct. Attic. 7. cap. 14. ait & in carmine, & oratione ſoluta reperiri tria probabilia dicendi genera, quæ Græci χαρακτῆρας vocant, eáque nominari, ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον: quæ nos appellamus, vber, gracile, mediocre. M. Varro exempla vbertatis in Pacuuio: gracilitatis in Lucilio, mediocritatis in Terentio ſtatuit. Ait autem tria hęc genera ab Homero tradita in viris tribus: magnificum & vber in Vlyſſe: in Menelao ſubtile: mixtum moderatúmque in Neſtore. Quæ quidem certé varietas tripartita, eſt animaduerſa tribus in Philoſophis, quos Athenienſes Romam miſerunt, vti multam Romani, quam illis indixerant propter Oropi vaſtationem remitterent: fuerũt hi Carneades ex Academia: Diogenes Stoicus: Critolaus Peripateticus. Violenta & rapida Carneades dicebat: ſcita & teretia Critolaus: modeſta Diogenes & ſobria. Seruius ait à Virgilio tria hæc expreſſa genera fuiſſe. Humile in Bucolicis: mediocre & temperatum in Georgicis: grande & ſublime in Æneide. Sed & ipſe Cicero in epiſtolis vtitur feré humili dicendi genere: in Philoſophicis libris mediocri & temperato: in orationibus varius eſt. Nam in eadem oratione, vt cauſa poſtulat, aliquando ſublimis, nonnunquam tenuis, interdum etiam mediocris eſſe perſpicitur.

Triplex forma medendi) Triplicem medendi rationem ſtatuunt medicorum ſcholę λογικὴν, μεθοδικὴν, ἐμπειρικὴν:ſed aſſentior eruditis me admonentibus hîc tres artis medendi ſectas intelligi, de quibus Galenus in libro de optima ſecta ad Thraſybulum, & in libro de ſectis ad eos qui introducuntur: Prima eſt eorum qui Empirici nuncupantur, qui in medendo ſola ſunt experientia contenti. Secunda eſt methodicorum, qui,vt Galenus ait, cognitionem communitatum euidentium ad finem medendi referunt: Tertia eſt rationalium,qui rationem experientiæ coniungunt, atque ideò morborum cauſas, medicamentorúmque facultates ſtudioſè inueſtigant, & remedia conſentanea morbis accommodant. Qui methodicos ſe dici medicos volunt,neque logicis, neque empiricis annumerãtur: ſed tamen ſi methodica logicæ adiungatur,artem medicam tutam faciũt-Empirici vulgò feré malè audiunt. quia πεῖρα σφαλερὴ, Vt ſcribit Hippocrates. Logicus medicus, vel dogmaticus fuit Hippocrates idem princeps medicorum. Empirici memorantur Philippus Coüs, & Serapion Alexandrinus. Methodici Archigenes & Themiſon,ipſéque Galenus in primis logicam medicinam,vt probatiſſimam celebrauit.

Et medicina triplex) Cicero oratione pro Roſcio, cantum vocum,neruorum & tibiarum diſtinctè ponit:quã verbis alijs appellant alij, harmonicam, organicam, rythmicam. Sed & inſtrumenta Muſica in triplici eſſe differentia didiceram iam olim ex Diui Chryſoſtomi in Pſalmos præfatione,ἐμπνευστὰ,quæ flatu,ἔγχορδα, quæ neruis intenduntur: κρουστὰ quæ pulſantur. primi generis ſunt,tuba,tibia,fiſtula, claſſicum, buccina,cornu, litus.ſecundi ordinis ſunt, lyra,cythara, teſtudo, pſalterium,barbiton,ſambuca,pectis.ad tertium genus referuntur tympanum,ſiſtrum,cymbalum.

Tres oratorum cultus,regnata coloſſo,
Quem Rhodos, Actææ quem dilexiſtis Athenæ.

Et quem de ſcenis tetrica ad ſubſellia traxit
Proſa Aſiæ in cauſis numeros imitata chororum.

Tres Oratorum cultus) Nobiliorum oratorum tres formæ apud Græcos.erant enim,Attici, Rhodij, Aſiatici. Attici preſſi,nitidi,emuncti, limati, integri:Aſiatici inflati,turgidi,redundantes & copioſi plus quàm par eſſet:Rhodij,medii inter Atticos & Aſiaticos. Plura M. Tullius Oratore ad Brutum.

regnata coloſſo) regnata, participium ſine verbi origine vt Horat. 2. carminum.

——*& regnata petant Laconi* ——*rura Phalanto.*

Idem 3.*Quid Seres & regnata Cyro* ——*Bactra parent.* Coloſſi autem Rhodiorum hîc meminit Auſon.Fuit enim Coloſſus ingentis magnitudinis ſtatua, vnum ex orbis ſeptem miraculis.

Et quem de ſcenis &c.) Numeri quidem primi fuere in poëtis, ſed temporum ſucceſſu vſurpari etiam cępti ſunt ab oratoribus. qua de re p ura Cicero in Oratoris perfecti poſtrema parte,& Fab.Quintil.lib. vndecimo.

Orpheos hinc tripodes, quia ſunt tria, terra, aqua, flammæ.
Triplex ſideribus poſitus, diſtantia, forma,
Et modus: & genitrix modulorum muſica triplex.
Miſta libris, ſecreta aſtris, vulgata theatris.

Orpheos hinc tripodes) in vulgatis exemplaribus. Orpheus in tripodes, legebatur: quæ corrupta lectio me fecit hærere diutius. non enim aſſequebar quis eſſet horum verſuum ſenſus, vt neque nunc hiſtoriam loci huius teneo. Certè quidem Plutarc.in philoſophorum placitis, ait Orpheum tria rerum omnium principia conſtituiſſe,cœlum,terram,noctem.Apud Suidam non eſt aqua,ſed nox, atque chaos. Scio quid *βίπυς*, tripes ſit,& tripus Apollinis qualis fuerit apud Delphos: ſed

quid per Orphei tripodes intelligendum sit, nondum video, neque fortè alij qui se doctiores putant. Nam quia Orphei scripta omnia interciderunt; ex quibus paucula quædam in aliorum libris supersunt fragmenta, nihil temerè ea de re ausim pronunciare.

Triplex sideribus positus) Triplex astrorum consideratio est, quæ forma sit, quæ harmonia, quæ distantia. quantum ad formam, sydera, stellæ, orbes cœlestes sunt sphæricæ & rotundæ figuræ, vt probat 2. de Cœlo Aristot. Harmoniam siue concentum declarat Macrob. in Somnium Scipion. quam nondum scire potui an aliquis sensu vel ratione sit assecutus. scio eam magnificè magis, quàm veré defendi à Scipione in postremo 6. de Repub. apud M. Tullium. De distantia inter spheras variant Astronomi, sed consule Plinium lib. 2. cap. 22.

Distantia, forma, & modus) Noster Praïus non leui cõiectura ductus censet esse legendum (*forma & motus*) quid sit enim hic modus fatetur ingenuè se nescire: at vocabulum (*motus*) bellè huic loco cohærere.

Et genitrix modulorum Musica triplex) Plutarc. lib. de Musica, tres partes Musicæ facit, diatonon, chroma, & harmoniam: cuius rationes ab eo petas licet: prolixior est enim disputatio quàm vt huc traduci commodè possit. Vel hoc ad triplicem illam Musicam retulero, quam statuit Laërt. in vita Platonis: ait enim quandam voce constare vt cantum: aliam voce simul & manu, vt est lyræ cantus: tertiam solis manibus perfici, vt cùm silente oris organo citharam percutimus: vel denique (quod censet Praïus noster) hoc referri potest ad modos Musices, qui tres numerantur apud veteres, Doricus, qui seuerus, grauis, & honestus erat: Phrygius, qui furoris & luxus plenus: Lydius qui acutus, eratque accommodatus luctui & lamentationi. Quibus & adiiciunt nonnulli Ionicum, qui floridus & iucundus fuit. Lege Galenum. 1. de sanitate tuenda.

Martia Roma triplex, equitatu, plebe, Senatu.
Hoc numero tribus, & sacro de monte Tribuni
Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

Martia Roma triplex) Tres olim Romæ ordines, Senatorius, equestris, plebeius. quanquam tamen legere est apud auctores non pœnitendos, duos tantùm Romę ordines olim fuisse, Senatorium & Plebeium. eam tamen ordinum differentiam videtur Romulus constituisse. idem enim senatum, idem equites constituit. Ex quo intelligitur, qui neque senatores, neque equites essent, eos ab eodem in tertio plebis ordine relictos. Cicero præclara illa oratione quam habuit aduersus L. Catilinam in toga candida, hanc ordinum trium varietatem disertè expressit: A quibus consulatum petis? à senatoribus, qui te auctoritate sua spoliatum ornamentis omnibus, vinctum penè Africanis oratoribus tradiderunt? ab equestri ordine quem trucidasti? à plebe, cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas prębuit, vt nemo sine luctu aspicere, sine gemitu recordari possit? Idem oratione pro domo sua: Senatus decreuit vt omnes qui Remp. saluam esse vellent, ad me vnum defendendum venirent. Proximus est huic dignitate ordo equester, omnes omnium publicanorum societates de meo consulatu amplissima decreta fecerint. nullum est hac in vrbe Collegium, nulli pagani aut montani (quoniam plebi quoque vrbanæ maiores nostri conuenticula, & quasi concilia esse voluerunt) qui non amplissimè de mea salute decreuerunt. Velleius Paterculus lib. 1. Tum Senatus, atque equestris ordinis pars melior, & intacta perniciosis consilijs plebs in Gracchum ruere.

Sacro de monte Tribuni) Tribuni plebis tribuum Romanarum suffragio creati. Populus Romanus primùm diuisus est in tres tribus, ex quibus singulis singulos tribunos esse delectos tradit Pomponius Iurisc. de Orig. Iuris.

Tres equitum turmæ) Seruius in Virgil. 5. hoc enarrat & intelligit de tribubus Rhamnensibus, Luceribus, Tiriensibus. Romulus enim, vt auctor est Liuius, cùm populum in triginta curias diuisisset, tres equitum centurias, Rhamnenses ab ipso, Titienses à Tito Sabinorum rege nuncupatas (Lucerum autem nominis atque originis incerta ratio est) conscripsit. Virgil. 5. æneid.

Tres equitum numero turmæ, ternique vagantur
Ductores, pueri bis seni quemque secuti.

Quo videtur alludere poëta ad Troiæ lusus, quos frequentissimè Augustus edidit magnorum minorúmque puerorum delectu, teste Suetonio,

Tria nomina nobiliorum) De antiquis Romanorum nominibus doctissimum libellum concinnauit Franciscus Robortellus, obseruátque primùm Romanos vno nomine vsos esse, vt Romulus, Remus: posteà verò quàm in vrbem migrarunt Sabini, ictúmque fœdus est cum Tatio, duplicari cœpisse nomina, quod ex duorum populorum coniunctione factum esse dicit, vt Numa Pompilius, Seruius Tullius, Lartes Porsena: tandem verò tribus nominibus vsos esse, nempe prænomine, quod vna littera signari solebat, aut duabus saltem, vt M. C. Sp. Ap. interdum tribus, vt Ser. Sex. deinde nomen apponebatur: & tertio cognomen familiæ, quod interdũ petebatur vel à forma, vel à rebus gestis, vel à virtute, vel ab euentu.

Nomina sunt chordis tria, sunt tria nomina
mensi.
Geryones triplex, triplex compago Chimeræ.
Scylla triplex commista tribus, cane, virgine,
pisce.

Nomina sunt chordis tria) Ex chordis Musicis alia ὑπατή, alia μέση, alia νήτη, seu νεάτη: prima grauissimum sonum edit & opponitur imæ, nimirum νήτῃ: μέση media: ima verò νήτη acutissimi soni est.

Sunt tria nomina mensi) Tres mensis partes in Calendas, Nonas, Idus. Commoda temporis omnis diuisio est in annos, menses, dies: Annos, in magnos, vertentes, in secula, ætates, geneas, lustra, vel Olympiades, & pentheteres, in trieteres, indictiones, æra, iubileos, vel iobileos, ait Lilius Gyraldus: Menses in Kalendas, Nonas, Idus: vel vt Greci, in Neomenias, cõsistẽtes, id est. ἱσαμένους

decades & icades, vel desinentes, id est φθίνοντες: Dies verò in quadrantes, horas, & cæteras partes. Lunam enim sequuntur Græci, mensemque diducunt in decades tres: primam appellant mensem consistentem: secũdam, ad decem vel medium: tertiam, deficientem vel terminantem. dicunt enim μηνὸς ἱσαμένου, & ἐπὶ δέκα, vel μεσοῦντος, tum demum φθίνοντος vel λήγοντος μηνός.

Geryones triplex) Iustinus historia. 44. tradit Geryonẽ ideo tricorporem à poëtis fingi, quia tribus fratribus tantus inesset animorum consensus, vt vna omnibus anima esse videretur. Seruius, quòd tribus insulis præfuerit olim Geryon, nempe maiori & minori Balearicę atque Ebusæ.

Triplex compago Chymeræ) Monstrum triforme Chimera fuit,

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν τε δράκων, μέσση τε χίμαιρα.

Prima leo, postrema draco, media hispida capra. ait Hesiod. Theogonia.

Scylla triplex) Monstrum marinum, facie virginea, subtus verò rictus habens caninos & tota saxea. Homerus ad principium Odyss. μ. & Ouid. Transform. 14.

Gorgones, Harpyiæque & Erinnyes agmine terno.
Atque trifatidicæ nomen commune Sibyllæ,
Cuius tergemini fatalia carmina libri,
Quos ter quinorum seruat cultura virorum.

Gorgones) Tres fuere Gorgones, Stheno, Euryale, Medusa, quæ ad montem Atlantem incolebant, eósque quos intuerentur in saxa transformabant: id est, hę cùm pulcerrimæ essent, ad earum intuitum torpebant adolescentes, ait Seruius. De his sic Hesiodus:

Γοργούς θ' αἳ ναίουσι πέρην κλυτοῦ Ὠκεανοῖο.
Σθεινώ τ' Εὐρυάλη τε Μέδουσά τε.

Gorgones, Oceani vltra magna fluenta morantes
Sthenóque, Eurialéque, Medusáque.

Harpyiæque) Tres hæ, Oello, Ocypete, Celeno, iuxta Homerum. siquidem Hesiodus duarum tantùm meminit. Harum rationem pete à Rhodigino 16.cap.27.& 29.cap.27. Sic Hesiod. genealogia Thaumantis & Electræ:

Ἠΰκόμους θ' ἅρπυιας, Ἀελλώτ' Ὠκυπέτην τε,
Αἵ ῥ' ἀνέμων πνοιῇσι καὶ οἰωνοῖς ἅμ' ἕπονται &c.
Pulchricomas atque Harpyias, Aello, Ocypitenque
Quæ ventis auibúsque volant velocius ipsis.

Erinnyes) Eumenides siue Furiæ tres, Alecto, Megera, Tisiphone. Lactant. in 6. diuinarum institutionum, cap.18. refert ad tres motus quibus impulsi homines in facinora quæque præcipites aguntur, iram, cupiditatem, libidinem. prima quidem vltionem appetit: altera pecunias, tertia voluptates. Quod idem penè videtur M. Tullio pro Roscio Amerino, & in Pisonem.

Atque trifatidicæ nomen commune Sibyllæ) Nouem Sibyllæ varijs floruere temporibus, de quorum carminibus & vaticiniis ad Tarquinium Priscum allatis Lactant. cap.6. lib.1. multáque Diu. Augustin. cap.23. lib.18. ciuitatis Dei.

Quos terquinorum &c.) Lactantius diuinarum Instit. lib.1. cap.6. ait libros Sibyllinos à Romanis tanta religione obseruari, tantáque cura occultari, vt eos ab vllo nisi à quindecimviris inspici nefas habitũ sit.

Ter bibe, ter numerus super omnia, ter Deus vnus.
Hic quoque ne ludus numero transcurrat inerti.
Ter decies ternos habeat, deciésque nouenos.

Ter bibe, ter numerus, &c.) Repetit idem quod initio ad conclusionem vetustiorem. significat autem perfectionem omnem significari per ternarium.

Ter Deus vnus) Religionis Christianæ fundamé-

tum, hoc est vt vnum tribus in personis Deum credamus eiusdem essentiæ & naturæ: quod tam admirabile persuasionis orthodoxæ mysterium apertè & mirificè docet Athanasius in symbolo, quod reuera nostrę pietatis compendium meritò nuncupari potest. Vidit id eruditissimus Pierius in ἱερογλυφικῶν libris, quo loco ait tres in rebus omnibus vnitates animaduerti sic inter se mutuò connexas, vt ab vnitatis simplicitate minimè abcedant. esse enim primùm eam in rebus vnitatem qua vnumquodque sibi vnũ sit, sibiq; constet & cohęreat: cui quidam ex veteribus ita visi sunt assentiri, vt numerum ex natura rerum amouere cogitarint. Esse eam secundò, per quã altera alteri res vniatur, & per quam demum omnes mundi partes vnus sint mundus: Tertiam atque omnium principem esse, qua totum vniuersum cum sui opifice, vt exercitum cum suo duce vnum esse videamus. Adesse tripartitò spectatam vnionem hanc rei per suam vnam simplicem naturam, ab vno, illo deriuatam, quod & primũ vnũ, & trinum simul, est à Patre inquã, Filio, & almo Spiritu. Nã & Patris potestas omnia producens suam omnibus largitur vnitatem: & sapientia Filij ritè disponens omnia, vnit omnia inuicem atque copulat. Mox Spiritus, amoris sui vinculo ad Deum connectens omnia, totum opus opifice nexus charitatis adiungit. Hinc Deo inditum amoris cognomentum, quo mortales affecti, primò Deum ipsum supra nos, supraq; omnia diligere debeamus: secundo loco nos ipsos: tertiò proximum sicuti nosmetipsos. Hęc Pierius.

Ter decies ternos &c.) Hoc eidyllium confectum est ex versibus decies nouem: id est nonaginta, vt etiam versuum numerus accommodetur ei numero, cuius exempla permulta ex varijs philologię petita spatijs hucúsque studiosè collegit. Tu verò, quisquis es Lector candide,

——— Si quid nouistis rectius istis,
Candidus imparti, si non, his vtere mecum.

Multò quidem plura conieciſſem, neque id magno labore, ſed quędam ſtudioſis, in quorum hæc gratiam conſcripta ſunt, putaui tranſmittenda, vt ſuo ipſi labore aliquid conſequerentur, non omnia in Commẽtarium tantilli poëmatij ad nauſeam vſque inculcanda, quod Syluius facit: à cuius ego ſtudio & induſtria minimè abhorrui (laudo enim non inuitus hominis diligentiam, quæ mihi in quibuſdam profuit ad leuandum vel certè imminuendum quærendi tędium) ſed te tua delectant, me mea, quod ille ait.

FINIS.





APPENDIX APOLOGETICA PRO AVSONII GRIPHO. edyll. XI.



VM iam peruenissem ad huius explicationis vmbilicum, meásque ad Ausonij Griphum commentationes edi passus essem, eorum maximè precib⁹ persuasus quibus mei ocij ratioñe omñe cõstare cuperẽ, & quibus me charum esse sentirem, non potui quin grauiter ferrem id Ausonij argumentum minimé probari Ioanni Vassorio Theologo, viro nunquam sine honoris pręfatione mihi nominando: quòd diceret se non videre quem ad vsum literarium, & quam ad frugem studiosorum hoc qualecunque esset ludicri carminis referri posse videretur. Id vbi primùm resciui, quia ex eo me accepturum diffidebam quid sensus haberet, quanquam me rerum aliarum multò grauiorum consortem admitteret, subornaui quosdam homini familiares, qui cautè subolfacerent quibus ille rationibus persuasus tam sinistrè de Ausoniano Gripho iudicaret. Quem cùm percontati essent, ab eo nihil improbari dixerunt præter initium carminis reipsa insolens & fer-

mè ludicrum, in quo de bibendo seu compotando,
id est, vt ipse dicebat, de insaniendo ad numerum
præciperetur: quasi id numerosè fieri,aut aliquo ra-
tionis modo præscribi æquum vel honestum putan-
dũ esset:multa videri ab ocioso homine scripta, qui
quasi in litore bulbos aut lapillulos pueriliter & o-
ciosè legeret,non alio vtiliore studio fortasse occu-
patus: méque oblitum mei muneris & consuetudi-
nis,qui eos auctores potissimùm mihi solerem pro-
ponere,à quibus vnà cum linguæ puritate & elegan-
tia,morum doctrina peteretur. Ita sentire Vassoriũ,
virum sani iudicij, & cui homini de me bene meri-
to semper multùm tribui, dolui equidem; ei enim
mea imprimis studia probari volebã; à quo iamdiu
perceperam meas omnes in litterario curriculo cõ-
tentiones, immò ludicra omnia summopere appro-
bari. Cui ego, si diutiùs vixisset (iam enim tum per-
uenerat ad annum illum climactericum multis for-
midabilem,senibus fatalem) eam ex eius animo o-
pinionem fuissem conatus euellere. Quod nunquã
fecissem dissentiendi aliqua libidine, vel vt præfra-
ctè cum eo pugnarem,qui me facilè sua vnius posset
auctoritate frangere: sed quia existimarem tenen-
dum & defendendum non tam quid vir optimus
tunc temporis autumaret, quàm quod semper esset
probaturus. Tamen ne fortè alij quidam vnà cum
eo sentiant, & eius exemplo, quanquam non pari
auctoritate,mihi molesti esse audeant,id vnum asse-
uero:minimè esse de libri bonitate ex eo quod sta-
tim occurrit initiò statuendum: quod si fiat,non mi-
nus ridiculè id, quàm si ex vestibulo aut frontispi-
cio estimetur de reliquo ædificio: nullumq; aucto-
rem adeò disertum & elegantem scitumq; fore, si
standum sit ab eò præiudicio, quin ob vnum aut al-
terum verbum contumeliosè traducatur. Et quidẽ si
optimus ille vir constanter initium griphi Auso-
niani cum reliquis partibus ad finem vsque perle-
gisset(vt erat alia multa solitus euoluere, librorum
omnis generis non modò sollers inuestigator, sed e-

tiam planè curiosus Aristarchus) induisset opinor, aliam de hoc erudito carmine opinionem, quod ludendo effudit Ausonius: ex quo tamen poëmatio certè vario, sed breui & rotundo, emunctoque, plus, ausim dicere, capi fructus potest, quàm ex aliorum quorundam numerosissimis paginis. Addo etiam & hoc, non esse adeò ludicrũ istuc & ociosum, vt non multò plus serij quàm ioci facilè inde duci possit: nec mihi nugari eum qui adeò peritè & ingeniosè ludat: neque ludere operam qui sic ludendo iocandóue aliquid impertiat lectoribus ex quo ingeniũ oblectent suum. Fuit itaque ab ea contumelia vindicandus Ausonius, vt me etiam à reprehensione quorundam liberarem, quòd ita non benè horas meliores collocarim. Quod enim dicitur de Socrate, sic iocari solitum eum, vt ioci etiam fuerint iis vtiles à quibus audiebatur, itidem de Ausonio possum pro meo iure asseuerare, qui & in ternario numero, & alijs etiam quibusdam scriptis ita iocatus est, vt ex ludicris eius versibus nullus non aliquid capiat seriũ, dignumq́ue memoria. Quod cùm ita sit, illeq; de numero planè numerosè, quanquam iculariter, eruditè tamen scribat, ludicræ huius scriptionis rationem non puto ita anxiè requirendam: adeò mihi placet multiscij Plutarchi vox, qui ζητοῦντα ἐν ἑκάστῳ τὸ εὔλογον, ἐκ πάντων ἀναιρεῖν τὸ θαυμάσιον verissimè dixisse mihi videtur: nempe eum euertere rerũ admirabilium nexus, qui rei cuiuslibet rationem sibi dari postulet. Nempe est permittendum aliquid optimis ingenijs: vtque non semper arcum tendit Apollo, quod ille ait; ita diuina illa ingeniorum acies non semper est occupanda in rebus grauioribus, quę fortè nimia contentione & pondere continuo labascunt, sed tum non parum laudanda industria cùm ex rebus iocosis res serias aucupio, vt ita loquar, erudito non temerè aut ieiunè captat. Sit ergò litteratus iste ludus, & quales esse vellem multos ex iis qui iam olim & nostris temporibus nimium patienter, ne dicam stultè circunferuntur, promercales haben-

tur, leguntur in Scholis, nullo delectu nullóque iudicio recitantur. Dignæ tamen carminum rancidorum quisquiliæ, & ineptæ versificatorum merces nō alio quàm Vulcani lumine, aut quæ in vicum deferantur

---- vendentem thus & odores,

Et piper, et quicquid chartis amicitur ineptis.

Fateor hoc quidem genus lusus affectatum ab Ausonio fuisse, vt fecit etiam locis alijs non minùs disertè quàm facetè, non tam ad ingenium ostentandum, quàm vt cum amicis ad quos scriberet, honestè animum reficeret. Ex locis ijs duos adduco potissimum, vt quo in numero numeros habuerit Ausonius, Philologi omnes intelligant. Primus fuerit ex Epistola quadam ad Vrsulam Grammaticum, cui strenas Kalend. Ianuarijs ab Imperatore non datas reddi curarat. is est eiusmodi:

Primus iucundi fuit hic tibi fructus honoris
Augustæ faustum munus habere manus.
Proximus ex lōgo gradus est Quæstoris amici
Curam pro strenis excubuisse tuis.
Ergo interceptos regale numisma Philippos
Accipe tot numero quot duo Geryones.
Quot terni bijuges: demptoq. triēte Cameræ,
Quotque super terram sydera zodiaci:
Quot cōmissa viris Romana, Albanáq. fata,
Quótque doces horis, quótq; domi resides.
Ostia quot pro parte aperit stridentia circus,
Excepto, medium quod paret ad stadium:
Quot pedib. gradiūtur apes, et versus Homeri,
Quot horis pelagi profluit aut refluit:
Protulit in scenam quot dramata fabellarū,

Arcadiæ medio qui iacet in gremio:
Vel quot iuncturas geometrica forma fauorũ
Conſerit extremis omnibus & medijs.
Quot τέλεος *primus numerus, ſolúſq; probatur,*
Quot par, atq; impar partibus æquiparat.
Bis ternos, & ter binos quia conſerit vnus,
Qui ſolus totidem congeminatus habet.
Quot faciunt iuncti ſubtérq; ſupráq; locati,
Qui numerant Hyadas, Pleiadáſq; ſimul.

Alterum locum recito ex epiſtola eiuſdem ad Theonem, cùm triginta oſtrea, grandia quidem, ſed nimiũ pauca miſiſſet: qua ratione non ſine ſale, ſed nec ſine dente tam munificum hominem perſtringit:

Oſtrea Baianis certantia, quæ Medulorum
Dulcib⁹ in ſtagnis reflui maris æſtus opimat,
Accipe, mi dilecte Theon, numerabile munus:
Verũ quot fuerint ſubiecta monoſticha ſignãt.
Quot ter luctatus cũ pollice computat index,
Geryones quot erant, decies ſi multiplicẽtur:
Ter quot erãt Phrygij numerata decẽnia belli,
Aut ter vt Aeolidi mẽſis tenet igniuomus Sol.
Cornibus à primis quot habet vaga Cynthia noctes:
Singula percurrit Titan quot ſigna diebus:
Quótq; annis ſublimis agit ſua ſecula Phaetõ:
Quot numero annorum veſtalis virgo miniſtrat:
Dardaniúsq; nepos regno quot protulit annos

Priamidæ quot erant, ſi bis deni retrahantur:
Bíſque viros numeres, qui fata Amphriſia ſeruant:
Quot genuit fœtus Albana ſub ilicibus ſus,
Et quot ſunt aſſes, vbi nonaginta trientes,
Vel quot habet iunctos Vaſatica rheda caballos.

Vtque anſa trahat anſam, ſic iocum iocus excipiat, deinde ſubdit,

Quod ſi figuras fabulis adumbratas,
Numerúmque doctus inuolutum ambagibus
Ignorat alto mens obeſa viſcere,
Numerare ſaltim more vulgi vt noueris,
In ſe retortas explicabo ſummulas.
Ter denas puto, quinquiéſque ſenas,
Vel bis quinque, dehinc decem, decémque,
Vel ſenas quater, & bis adde ternas
Septenis quater adde vnum & vnum,
Duc binas decies, ſemelque denas,
Aut ter quattuor adde bis nouenis,
Octonis quater hinc duæ recedant,
Binas ter decies ſemel quaternas,
Et ſex adde nouem, vel octo ſeptem,
Aut ſeptem geminis bis octo iunge,
Aut ne ſim tibi pluribus moleſtus,
Triginta numero fuêre cunctæ.

Quibus verſibus quid, quæſo, feſtiuius? immò quid

ociosius, aut etiam magis curiosum? Sunt etiam Musis sua ludicra, quod ait ipsemet, alio in carmine: quę si minimè probentur morosulis istis & tetricis magistris, aut censoribus nimiùm seueris, qui nihil nisi graue ac serium laudant, per me licet eos non recedere à grauioribus Philosophorum scholis; & si nũquam cum faceto Democrito frontem perfricare sustinuerint, & interdum iocari liberalius, continuo quæstu planctúque cum Heraclito illo mæsto consenescant.

Sed quia meum istum apologeticum nolim excrescere in plures paginas, quàm mei commentarij tenuitas patiatur, hîc consisto. tantùm admoneo studiosos ne quoties de libris eruditorum hominum exquiritur, pendeant ab opinione obuij cuiuscũque: aut pro oraculo habeant quicquid ab aliquo vel doctrinę laude commendato dicitur aliquando: non enim semper animus pręsens est, aut etiam iudicij illa vis qua facilé dijudices quid distent ęra lupinis. Et sunt ex literatorum turba nonnulli in quibus tãtundem sensus est, quantùm ingenij: qui de scriptis litteratis audacter admodum pronunciẽt, omniáq; non natura rei sed sua facultate metiãtur: alij, & plures fortasse, qui insana obtrectandi cupidine, nisi quod ipsi fecerint, nihil eruditum aut dignum lectione putent. Cum quibus, ne rixari habeã necesse, à qua me molestia facilè immunem præsto, velim eos moneri seriò ex Pythagoreo oraculo, ἢ σιγᾷν, ἢ κρείσσονα σιγῆς λαλεῖν. Lutetia. M.D.LXXV.

